DISSERTATIONVM ANT

BIGA

QVARVM ALTER

DE

GALILAEA

ALTERA

DE

HARMONIA APPA
CHRISTI RE

AD VINDICAN

LOCVM MATTH.

SCRIPT

A

M. CHRISTIANO
EICHLE
CATECHETA AD AEDEM

LIPSIA
EX OFFICINA LANG
MDCCXXXVI

ANTI-HARDVINIARVM
IGA
ALTERA AGIT
DE
EA MONTE
LTERA
DE
APPARITIONVM
I REDIVIVI
NDICANDVM
TTH. XXVIII, 16.
RIPTA
A
ANO GOTTLOB
HLERO
AEDEM D. PETRI LIPS.

PSIAE
LANGENHEMIANA
CCXXXVII.

A. Ω.

DISSERTATIO PRIOR.

§. I.

QVemadmodum nostri Domini Iesu Christi reditus in vitam ςυλος και ἑδραιωμα omnis nostrae fidei ac spei est; ita ductu SpiritusS. in vtroque codice V. et N. T. tam firmis, tam perspicuis rationibus est expositus, vt coecus omnino sit, qui in tanta veritatis luce adhuc dubitare velit. Probant eum non tantum Vaticinia V. T. e. g. Ps. XVI, 10. (quem locum de Christo agere, non de Dauide, solidissime vindicat Petrus Act. II, 27.) Probant typi, quo non datur illustrior, quam ipse Ionas propheta ex Gath Hachepher oppido Galilaeae oriundus, quod contra Iudaeos notamus Ioh. VII, 52. Probant Domini nostri verba, quibus ante et post resurrectionem suum ex mortuis in vitam reditum testatus est Matth. XVI, 21. XXVII, 63. Luc. XXIV, 46. Apoc. I, 18. α) Probant ipsi hostes testes Euangelicae veritatis Matth. XXVIII, 12. Tenue mendacium, quod consuunt, perlucet, si diligenter inspexeris. β)

 Pro-

α) *Vir Summe Venerab. et Magnif. D.* LOESCHERVS septem Christi resuscitati perinde ac moribundi verba constituit in *Decimis Euangelicis P. I. p. 259. s.*

β) vide GERHARDVM *in Harm. Historiae Euangel. de Resurrectione et Ascensione Christi Edit. antiqu. in 4to pag. 250.*

Probant apparitiones angelorum, cum custodibus, tum mulieribus ad sepulchrum accedentibus factae. γ) Probant tandem crebrio-

γ) De priori apparitione angeli custodibus sepulchri facta nullum est apud interpretes dubium Matth. XXVIII, 2. Sed de apparitionibus angelorum, quae mulieribus obtigerunt, non vsquequaque conueniunt, cum quoad numerum, tum quoad ordinem. I. quoad numerum. Alii vnam tantum cum GROTIO et VOSSIO, quos rectissime refutat Magnus CALOVIVS in *Bibliis illustratis* ad Matth. XXVIII. alii duas, alteram Mariae Magdalenae Ioh. XX, 10. alteram mulieribus reliquis factam, quorsum referunt omnia, quae Matthaeus, Marcus et Lucas tradunt, numerant, quibuscum facit CALOVIVS. Alii tres faciunt repetitam visionem angelicam mulieribus abeuntibus et redeuntibus vindicantes, quibus accedunt B. GERHARDVS *in Harm. pag. 54. et 128.* NICOLAVS KOEPPENIVS in Dissertatione *de I. C. Apparitionibus post Resurrectionem earumque ordine*, Gryphiswaldae 1707. et Vener. RVSIVS *in Harmonia Euangelica Tom. 3. Vol. 2. p. 1451.* qui tamen posterior in eo discedit a communi sententia, quod recursum mulierum ad monumentum post primam visionem neget, et diuersas foeminas, de quibus Lucas agit, ab illis, quarum mentio fit a Matthaeo et Marco, asserat: prouocat ad consensum *Analectorum societatis caritatis et scientiarum Tom. I. in* μονοτεσσαρῳ αναςασίμῳ. En rationes! I. quia multae dicantur foeminae Dominum ex Galilaea secutae morti eius interfuisse, quas si non omnes saltem plerasque ad sepulchrum tertio die inuisendum properasse, sed ad euitandum strepitum diuiso agmine accessisse auctor μονοτεσσαρυ coniicit. II. quia angeli foeminis accedentibus mox stantes, mox sedentes, mox vnus, mox duo apparuisse dicantur. III. quia si vnum tantum agmen fuisset, Cleophas de apparitione sospitatoris, quae mulieribus obtigit per Matth. XXVIII, 9. non tacuisset. Sed dubito, an rationibus allatis suum constet robur. Rationes dubitandi in promtu sunt. I. obstat vnanime Euangelistarum silentium, qui in recensendis mulieribus non tantum non variant, quin potius exacte consentiunt. Matthaeus nominat Mariam Magdalenam et Mariam Ioses, Marcus addit Salomen; Lucas cum cap. XXIII, v. 25. indefinite dixisset, mulieres ex Galilaea funus Domini comitatas esse, cap. XXIV, 10. nominibus eas determinat Mariam Magdalenam, Mariam Iacobi et Iohannam, Salomen quidem omittit, sed subiicit, alias quasdam adhuc cum iis fuisse, ex quibus patet, non duo diuersa agmina, aliud apud Matthaeum et Marcum, aliud apud Lucam fuisse, quae ad sepulchrum Christi accesserint. II. etiam si probetur, multas mulieres ex Galilaea morti Saluatoris interfuisse, probari tamen nequit, iisdem quoque eandem de vnguendo mortuo fuisse mentem et constantiam amoris, certe verbum Lucae XXIV, 1. τινες dubitare vix sinit, non adeo magnum mulierum ανωνυμων numerum exeuntium ad sepulchrum Domini concipiendum esse, cum ne discipuli quidem omnes accepto licet nuncio praeter Petrum et Ioannem exiisse legantur, Luc. XXIV, v. 9. et 12. III. ex diuerso numero et situ, quem angeli in apparitione mulieribus facta habuerint, nihil aliud consequitur, quam distinctas esse visiones

crebriores ipsius Sospitatoris rediuiui ἐπιφάνειαι, quarum aliae ante ascensionem per integros quadraginta dies, aliae post ascensionem, vt Paulo Act. IX, 22. ad quam idem ipse intrepide prouocat 1 Cor. XV, 8. Stephano Act. VII, 55. Ioanni in Patmo Apoc. I, 11. contigerunt. δ)

§. II.

Apparitiones Domini ex mortuis resuscitati sed nondum in coelos euecti communi sententia praeeunte *Praesule Hipponensium* AVGVSTINO decem numerantur: quanquam multo plures euenisse, etsi ab Euangelistis non recensitae sint, cum illae ipsae, quas recensuerunt, satis sufficiant ad demonstrandum ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ Ioh. XX, 31. Rom. I, 4. prona consequentia concludamus ex Ioh. XX, 30. α) et praesertim ex

 Act.

visiones et iteratam a foeminis itionem, id quod fuse probatum dedit GERHARDVS *l. c. p. m. 53.* ita vt in primo accessu ad tumulum angeli mulieribus ἀπὸ τοῦ μνημείου, vt Lucas ait, stantibus adstitisse, in altero vero, cum ex fuga paululum confirmato animo redirent sepulchrumque iterum intrarent, sedisse in eo dicantur. Plura differentur de hoc argumento in Dissertatione posteriori. IV. Silentium Cleophae nihil probat, siluit etiam mandatum, quod angeli mulieribus dederant, siluit apparitionem Domini Mariae Magdalenae factam, aut igitur statuendum, quod tum non adfuerint amplius hi duo Emauntici, cum mulieres iterum reduces nunciarent se rediuiuum Saluatorem vidisse, aut quod prorsus incredibile et multo incertius hoc nuncium putauerint, quam prius Luc. XXIV, 11. vide CALOVIVM in *Bibliis illustratis* ad Matth. XXVIII. Nec II. de ordine inter se conueniunt, dum alii ea, quae Lucas refert C. XXIV, 1. praeferunt illis, quae Matthaeus et Marcus differunt, vt GERHARDVS et KOEPPENIVS, alii postponunt cum *Autore* μονοτεσσάρου ἀναστάσιμου nixi hypothesi de duplici mulierum agmine.

δ) vide FECHTII *Dissert. de apparitionibus Christi post ascensionem.*

α) Verba haec Iohannis non generalem esse totius Euangelii, sed specialem epilogum apparitionis, quae Thomae v. 26. obtigerat, solide contendunt B. MAIVS *in Examine Criticae Simonis cap. 13. §. 12.* et *Ven.* RVSIVS *H. E. Tom. 3. Vol. 2. p. 1546.* contra GROTIVM, CLERICVM et *Cancellarium Tubingensem* PFAFFIVM, qui subsequens caput vigesimum primum Iohannis ab Ephesino presbyterio post mortem Apostoli additum esse fingunt; cui tamen hypothesi consensus codicum vniuersalis maxime opponitur, qui, si supplementum Euangelio accessisset, profecto in illud tam constanter non consentirent. Τὸ μετὰ ταῦτα quod cap. XXI. inchoat, satis arctum nexum antecedentia inter et consequentia constituit, nec obstant, quae obiiciuntur ex cap. XXI, 31. vbi Ioannes de se ipso, quod quibusdam mirum visum est, testatur, cum idem fecerit Cap. XIX, 36 nec obest numerus pluralis οἴδαμεν, ex quo לשון גדולה s. magnatismum eliciunt Sociniani, quandoqui-

Act. I, 3. vbi S. Lucas Sospitatorem nostrum per quadraginta dies a discipulis visum, et εν πολλοις τεκμηριοις viuum se μετα το παθειν αυτον exhibuisse testatur.

§. III.

De singulis apparitionibus quam plurima essent annotanda et obiectiones aduersariorum, quas de fundamentali hoc primario fidei articulo mouent retundendae, nisi otia nobis fecissent cum quoad ordinem Harmonicum GERHARDVS, RVSIVS LAMIVS, tum quoad obiectiones Iudaeorum, Naturalistarum, Spinozae, Woolstoni ceterorumque huius spiritus filiorum IOH. MARCKIVS, α) B. GOTOFREDVS OLEARIVS, β) HVMPHREVS DITTON, γ) et GVILIELMVS SHERLOCKIVS. δ) Supersunt tamen nonnulla nondum ad liquidum perducta, potissimum quae ordinem apparitionum Christi attinent. Fuerunt enim Docti Viri, qui alium a communi Augustiniano ingressi sunt ordinem, alias apparitiones coniungendo alias distinguendo, pro diuersitate hypothesium modo nouem, modo decem, modo vndecim numerando.

§. IV.

Quos inter non vltimas tenet IOH. HARDVINVS, Presbyter Gallus, societati Iesu, vt vocari solet, addictus, Vir clare doctus, sed audacior in coniectando, quam solidior in probando. Is nouam

doquidem Ioannes non suo solum, sed et reliquorum testium αυτοπτων nomine loquitur. conf. 1. Ioh. I, 1. Nollem tamen asserta πολλα μεν ουν αλλα σημεια εποιησεν ὁ Χριστος ενωπιον των μαθητων αυτου tantum ad signa et miracula, quae post resurrectionem edidit Act. I, 4. (vbi vox ἁπαξ λεγομενη occurrit τεκμηριον, cui LAMPIVS male generaliorem ac σημειον habet significatum in Historia Euangelica tribuit, vide *Commentarium in Euang. Ioh. Tom. 3. p. 715.* et GERHARDVM *in Harm. p. 330.*) restringere, quum integrum potius complexum eorum, quae Dominus in vita peregit, innuant: confer SEB. SCHMIDII *Collegium Bibl. posterius pag. 14. ss.*

α) in Historia Exaltationis Christi L. 1. et praesertim L. 2.

β) in Libro Germanico *Iesus der wahre Messias.*

γ) Tractatu Anglicano Discourses of the Resurrection Germanice per *Ven.* GOETTENIVM verso.

δ) Edidit nomine apocrypho *the Trial of the witnesses of the Resurrection of Christ*, libellus egregius, cui ne Woolstonus quidem laudem denegare potuit, Germanice versus est per Clar. ARNOLDVM 1733. recus. 1736. affixa est historia litium Thomae Woolstoni.

nouam Apparitionum Christi praesertim earum, quae primo resurrectionis die factae sunt, Harmoniam nobis tradidit in tractatu quodam Gallico Memoriis Treuultinis Anno 1729. Mens. Sept. inserto Artic. XCV. pag. 1763. Edit. Paris. Primus quidem tituli adspectus nomen Harduini occultat, ita enim se habent verba: *L'apparition du Sauveur dans la Galilée dont parlent S. Matthieu et S. Marc expliquée par le P. H. I. a Paris d. 6. Maii.* Sed quis non videt, quae desunt in verbis apocopatis facillime HARDVINI nomine et caractere suppleri posse, vnde etiam in Artic. CXX. Memoriarum pag. 2279. disertis verbis HARDVINO vindicatur. α)

§. V.

In primis magnum in communi et recepta sententia, quae apparitionem Sospitatoris in Galilaea factam, cuius Matthaeus meminit cap. XXVIII, 16. vti verba prostant explicat, et per Galilaeam, prouinciam ita dictam intelligit, offendiculum inuenire visus est, longe aliam eligendo sententiam, quae Galilaeam vbi Dominus apparuit, partem montis oliuiferi constituit, α) proinde nouam calci Dissertationis suae Euangelistarum Harmoniam quoad apparitiones Christi addidit, de qua infra in Dissertatione secunda dispiciemus.

§. VI.

Varia sunt, quae vir doctus cum pro destruenda sententia com-

α) Epitomen fusius in memoriis dictorum habebis in additamentis *ad Nouell. Erudit. Vol. 2. Missu 4. p. 4.*

α) Vt de mente HARDVINI plenius constet, iuuabit verba eius repetere: *La Galilée,* infert ex praemissis, *est donc ici autre chose que la province, qui porte ce nom, c'est une de croupes du Mont meme des Oliviers, le quel entouroit un assez grand espace de la Ville; et ou etoit sur la pente le Village de Gethsemani, comme les Bourgades de Bethphage et de Bethanie etoient au pied dans la plaine. Dire comme Saint Matthieu Chap. XXVIII, 16. que les disciples s'en allerent dans la Galilee sur la Montagne ou Jesus leur avoit commendé de se trouver; c'est à dire, qu'ils se rendirent dans la partie de la Montagne des Oliviers, qui appartenoit en propre aux Galileens pour y loger lorsqu'il ne leur etoit pas permis d'entrer dans la Ville. Ils l'avoient choisi, et l'avoient obtenu, parce qu'il avoit vüe sur le temple comme dit Saint Marc Chap. XIII, 1. c'etoit une consolation pour eux, de voir le temple au tems de leur priere a toutes les heures du jour se tournant de ce cote là.*

communi tum pro adstruenda sua peculiari composuit argumenta, sed si rem fateri licet, ita comparata, vt nodos, si qui sunt, non soluant, sed scindant, et difficultatem apparentem nouis maioribus difficultatibus euitent. Septem potissimum sunt argumenta, quibus HARDVINVS innititur. Prouocat enim

I. ad verba Saluatoris, quibus ante obitum discipulis visionem sui post resurrectionem promisit Matth. XXVI, 31. His ipsis verba resuscitati facta ad foeminas iungit Matth. XXVIII, 7 et 10. Infert inde, apparitionem promissam futuram in Galilaea primam omnium esse oportere discipulis factam. α)

II. Argumentatur ab impossibili, quandoquidem Galilaea ab Hierusalem distet duodecim milliaria, fieri igitur non potuisse, vt discipuli vno eodemque primo sc. resurrectionis die in Galilaeam abierint et redierint: abiisse vero ex Matth. XXVIII, 16. et eodem die rediisse ex Luc. XXIV, 33. probare vult, quia discipuli Emmao reduces in vrbem apud apostolos ex Galilaea reuersos diuerterint. β)

III. Ab

α) Ne quid praeter mentem HARDVINO affingere videar consilium cepi ad vnumquodque argumentum ipsius verba proferendi. Ita vero disserit ad primum argumentum, postea quam promissum Saluatoris Matth. XXVI. et iussa Angeli Matth. XXVIII. allegauerat: *tous ces textes renferment sans doute un ordre expres et bien precis donné aux Apotres de se reunir apres leur dispersion et de se rendre incessamment au lieu, où ils devoient voir le Sauveur pour la premiere fois, et de la part du Sauveur une promesse bien positive, que le lieu où ils auroient cette satisfaction seroit la Galilée, et qu' ils ne le verroient pas ailleurs auparavant. Toute autre explication ne peut etre que tres forcée et contre le langage ordinaire des hommes. Il faut ajouter beaucoup a la lettre pour y trouver un autre sens qui satisfasse. Comment le Sauveur pouvoit il leur dire, s'il parloit de la Province de Galilee: c' est là que vous me verrez, quand je serai resuscité, si cette rencontre ne doit se faire que plus de quinze jours du moins apres sa Resurrection et s'etant deja fait voir plus d'une fois ailleurs et d'une maniere tres sensible: entr' autres lorsqu'il y mangea avec eux le propre jour de la Resurrection et qu'il leur confera la seconde partie du Sacerdoce Chretien, sçavoir le pouvoir de remettre les pechez commis par les fideles apres le Bapteme, y a-t'il eu quelque autre apparition aussi eclatante, que celle là dans la Province de Galilée?*

β) Audiatur iterum HARDVINVS: *Ils ne l'auroient pas pu faire sc.* proficisci in Galilaeam prouinciam; *l'entrée où la frontiere de la Galilee par rapport a Jerusalem en etoit eloignée de douze bonnes lieues. Auroient ils pû y aller et revenir le soir meme a Jerusalem, quand l'on croit que le Fils de Dieu resuscité s'y fit*

III. Ab abſurdo communis ſententiae, quam reiicit, ſiquidem mandatum Chriſti valde vagum et ambiguum fuiſſet, ſi promiſiſſet ſe in Galilaea prouincia ſatis ampla appariturum, locum vero nomine non determinaſſet, quorſum ſe conferrent Diſcipuli. γ)

IV. Argumentum depromit ex ordinatione apoſtolorum ad praedicandum euangelium, adminiſtrandum Baptiſmum et remittendum peccata, quam primae apparitioni prae reliquis ipſo iure conuenire exiſtimat. Hunc vero hic ordinem a Chriſto obſeruatum fuiſſe, vt primo Baptiſmum Matth. XXVIII, 19. deinde poteſtatem remittendi peccata Ioh. XX, 23. inſtitueret. Quem quidem ordinem ſacramentorum (Pontificius ſecundum hypotheſin eccleſiae loquitur poenitentiam ſacramentis annumerando) turbari ab iis qui Galilaeam Matthaei pro prouincia habeant, et apparitionem ibi factam coniunctam cum inſtitutione Baptiſmi longe poſt illam Ioh. XX, 19. ſſ. collocent. δ)

V. Ar-

fit voir à eux pour la premiere fois? Il y a plus. Ils ne penſerent a ſortir de Jeruſalem où de ſes fauxbourgs pour retourner dans leur païs, que huit jours après; c'eſt à dire apres les huit jours des azymes expirez: car ce huitieme jour Jeſus Chriſt leur apparut encore à l'occaſion de Saint Thomas au meme lieu que la premiere fois.

γ) *Si l'ordre que le Sauveur donna a ſes Apotres de ſe transporter dans la Galilee devoit s' entendre de la province c'eut eté un ordre vague et indeterminé ſur lequel les Apotres n'auroient pû prendre aucune Reſolution ſans un plus grand eclairciſſement ſans lequel il etoit pareillement inutil de mettre par ecrit un ordre ſi general et ſi peu particulariſé. Si le Roi faiſoit dire à un officier, qu'il allat en Picardie et qu'il y auroit l'honneur de recevoir ſes ordres, l'officier ſeroit il ſuffiſſamment inſtruit de la route, qu'il doit prendre et du terme, où il faut, qu'il ſe rende pour obeir?*

δ) Pergit: *Il etoit tres naturel, que le Sauveur ordonnat premierement ſes Apotres d'aller precher à tous les peuples et de leur accorder la remiſſion de leur pechez paſſez en leur conferant le Bapteme ſuivant la forme qu'il en etabliroit. C'eſt ce que Saint Matthieu rapporte, que Jeſus Chriſt a fait a ſa premiere apparition. Qu'il joignit en ſuite le pouvoir de remettre les pechez meme comme commis apres le Bapteme: c'eſt ce que Saint Jean n'a pas voulu omettre. Un ordre ſi naturel de Sacremens eſt renverſé par tous ceux, qui ont fait des Concordes des Evangiles faute de bien entendre ce qu' eſt ici la Galileé, car prenant ce mot pour la province, la premiere Apparition n'y ayant eté faite que proche la Mer de Tiberiade comme Saint Jean le remarque au Chapitre XXI. C'eſt à dire a dix huit où vingt lieues de Jeruſalem; on a eté obligé de renvoyer l'inſtitution du Bapteme*

V. Argumentum ex verbis Iohannis ſtruit, qui afferat, ſecundam apparitionem Saluatoris ad mare Tiberiados factam, quod cum in Galilaea prouincia ſitum eſſe negari nequeat, priorem, non poſteriorem επιφανειαν a Matthaeo memoratam eſſe, quandoquidem arcte connectatur ibi Diſcipulorum abitus in Galilaeam cum colloquio Domini habito cum foeminis tumulum inuiſentibus. ε)

VI. In conſenſum vocat diſſenſum Matthaei a communi ſententia; communis opinio eſt, apparitionem a Chriſto promiſſam in Galilaea prouincia obtigiſſe, cui non tantum apoſtoli, ſed et vltra 500 fratres interfuerint, nam illa ipſa, de qua Paulus 1 Cor. XV, 6. agit, cum hac a Matthaeo deſcripta vna eademque habetur. Diſſentire videtur HARDVINO ipſe Matthaeus, qui diſerte ſtatuat, quod apparitio in monte Galilaeae non niſi vndecim apoſtolis aedi, quae certe 500 perſonas capere non potuerit, incluſis facta ſit. ζ)

VII. Ad-

pteme faite en Galilée ſelon Saint Matthieu long tems apres le pouvoir donné par Jeſus Chriſt d'abſoudre les fideles de leurs pechez, pouvoir donné dès le premier jour. On a eté obligé de placer cet article du Saint Jean avant celui de Saint Matthieu et de differer ce que celui ci dit du Bapteme jusqu' a la huitieme Apparition.

ε) Si cui mirus videatur hic argumentandi nexus, cognoſcat ex verbis: *de plus leur arrangement dans ces apparitions eſt detruit par les paroles memes des Evangeliſtes, car S. Jean rapporte, comme j'ai dit que la ſeconde Apparition du Sauveur a ſes diſciples fut proche la mer de Tiberiade, qui aſſurement eſt en Galilee. Comment peut-on donc mettre apres celle là celle dont Saint Matthieu parle ainſi apres avoir dit que le Sauveur eut quitté les Dames devotes; mais les onze Diſciples s'en allerent dans la Galilee ſur le Mont et le reſt. D'où y allerent ils que de la Diſperſion, où la paſſion du Fils de Dieu les avoit jettez, lorsqu'ils s'enfuirent tous? Eſt ce de la Galilee, ou eſt la Mer de Tiberiade qu'ils s'en allerent en Galilee?*

ζ) *En fin ces concordiſtes pour rendre plus celebre, que les autres, une apparition que les Anges et Jeſus Chriſt lui meme avoit predite aux Apotres plus d'une fois, ſont obligez de n'en faire qu'une de celle dont S. Paul parle où le Sauveur apparoit, dit-il, à plus de cinq cent Freres; quoique Saint Matthieu diſe poſitivement, que l'apparition ſur la Montagne de Galilée ne fut, qu'en faveur des onze Apotres enfermez dans une Maiſon, la quelle aſſurement n'eut pu tenir cinq cent perſonnes:* Vndecim Apoſtoli. *De fait elle ne fut accordée et ne la devoit etre particulierement qu'à ceux, à qui le Sauveur l'avoit predite et promiſe la veille de ſa paſſion et par conſequent aux ſeuls onze Apotres.*

VII. Additur vltimum Argumentum, quo potiſſimum hypotheſin de Galilaea iugo montis oliuiferi aſſerere, et apparitionem Chriſti a Matthaeo traditam explicare allaborat. Prouocat ad ſocium Barradium qui Tom. 4. p. 337. referat, quod LOARIVS, η) Epiſcopus Conimbrenſis, qui ipſe ſuis oculis loca Hieruſalem circumiacentia luſtrauit ad Marc. XVI. eandem, quam Harduinus exponat, ſententiam annotarit, et quanquam non diſſimulet diſſenſum *Barradii*, qui *Soario* verba Matthaei obiiciendo: abierant in Galilaeam in montem vbi Chriſtus conſtituerat illis, duo diſtincta loca, quorum prior nomen prouinciae obtineat, notari aſſerit, vertitque: abierant in Galilaeam et in montem; eundem tamen his ipſis verbis refutat HARDVINVS: *Mais cette conjonction eſt une gloſſe qu'il n'eſt pas permis d'ajouter au Text Sacré.*

§. VII.

Inde fit vt HARDVINVS duas illas apparitiones, quas Iohannes partim decem apoſtolis Thoma abſente, partim iisdem poſt octiduum Thoma praeſente obtigiſſe refert cap. XX, 19. 24. a Matthaeo l. c. per craſin in vnam contrahi exiſtimet, quandoquidem vtraque eodem fine, *au meme but*, facta ſit. Quod autem ea, quae Matth. XXVIII, 17. leguntur οἱ δὲ ἐδίςασαν attinet, haec de Thoma dubitante interpretatur. α)

§. VIII.

Operae pretium erit argumenta Viri Docti perluſtrare, et quid valeant examinare, vt loco citato Matthaei c. XXVIII, 16. ſua conſtet lux. Ante omnia monendum tamen, non nouam, vt quidem videri poterat etſi nondum ex inſtituto refutatam eſſe Harduini ſententiam. Teſtes voco FRANC. QVARESMIVM, *Theologum Pontificium olim Terrae Sanctae Praeſidem*, α) HA-

η) Forte per errorem typographicum L pro S poſitum eſt, cum epiſcopus ille non Loarius, ſed Soarius audiat, vide QVARESMIVM in *Elucidationibus Terrae Sanctae Tomo 2. L. 4. p. 319.*

α) *Cette exception regarde le doute de Saint Thomas, à qui les autres Apotres avoient dit, nous avons vû le Seigneur.*

α) Si euoluatur Tomus ſecundus Elucidationis Terrae Sanctae Caput XI. Libri IV. integrum agit de loco in monte Olıueti, qui appellatur Viri Galilaei, ſiue Galilaea. *In ſacri Oliuarum Montis ſummitate*, ait QVARESMIVS, *a dextro latere*

DRIANVM RELANDVM, β) IOH. FRANCISCVM BVDDEVM. γ) Eandem ſententiam adoptatam deprehendi a Doctiſſimo IACO-BO

latere loci aſcenſionis Domini procedendo aquilonem verſus eſt quaedam habitatio ad inſtar demiſſae turris, in quadam planitie, vbi nulla eſt eccleſia, ſed locus orationis Turcarum et circumcirca Maurorum domunculae. Ex iſto loco propter eius eminentiam coelo ſereno Iordanis fluuius et mare ſalſiſſimum clare cernitur. Eſt hic cacumen alterum montis OlIueti, quod Viri Galilaei vel Galilaea appellatur. Quibus dictis inquirit QVARESMIVS in rationem huius denominationis afferendo tres coniecturas: primam, quod ibi Apoſtolis in aſcenſione Domini ſtupentibus coelumque ſuſpicientibus acclamatum ſit: Viri Galilaei Act. I, 11. Hanc illico reiicit propter notabilem diſtantiam cacuminis huius a loco aſcenſionis Chriſti: Secundam Soarii Epiſcopi aſſerentis, quod ibi fuerit hoſpitium Galilaeorum quotiescunque ad celebrandos dies feſtos Hieruſalem veniſſent, eademque haec ſit Galilaea, de qua Chriſtus ad diſcipulos locutus ſit Matth. XXVI, 32. Refutantem hanc Soarii coniecturam adducit Bonifacium, cui et ipſe accedit QVARESMIVS, cum quia Soarii aſſerta minus ſolido nitantur fundamento, tum quia communiter per Galilaeam intelligatur prouincia: tertiam denique a villa, quam in iſto cacumine vſque in hodiernum diem ſitam eſſe teſtatur, hanc Galilaeam probabiliter dictam ait QVARESMIVS, ſe inueniſſe in veteri manuſcripto libello locorum terrae ſanctae, ſed quare haec villula ita ſit appellata decidere non audet, *ſi melius non occurrit*, addit, *dicas, quoniam erat ibi antiquitus hoſpitium Galilaeorum, quod fortaſſe ibi et non in ciuitate ſibi elegerunt, quia commodius.*

β) In Palaeſtina Sacra L. I. Cap. 52. p. 338. vbi verba Anonymi cuiusdam allegantur Galilaeam et Canam Galilaeae, in qua nuptiae ſatis notae celebratae ſunt Ioh. II. ad cacumen montis OlIueti collocantis. En verba! *και σιμα εκειθεν ϛαδια β ειναι ἡ Γαλιλαια, ὁ εν Κανα γαμος, ὁπȣ εποιησεν ὁ Χριϛος το ὑδωρ οινον.* Idem RELANDVS eodem capite Perdiccam Epheſium in *Deſcriptione Hieruſalem* ſiſtit:

Ορος μικρον ανεϛηκως εϛι τȣ ελαιωνος
Εγκαρσιον ȣκ ορθριον κειμενον προς την Εω
Ολιγον την διαμετρον γεωδες και πετρωδες
Το μηκος ȣ μακροτερον αλλα μιλιων δυο
Ευθυγραμμον την κορυφην εχον αλλ ȣκ οξειαν
Ὁυπερ εν μερει προς βορραν εϛιν ἡ Γαλιλαια
Εν ἡ δραμοντες εβλεψαν ὁι μαθηται τον κτιϛην.

γ) in Diſſertatione de Galilaea Miraculis Chriſti clara Sect. I. §. 3. *εν παροδῳ* noto, inquit Vir Beatus, ad boream ſummi apicis oliuiferi collem eſſe, qui et ipſe pars eius cenſeatur, quique Galilaea dicatur et hic locus intelligendus credatur, quum poſt reſurrectionem Chriſtus dicitur diſcipulis ſuis praeiturus in Galilaeam: vnde etiam in notis ſubiunctis citat RELANDVM l. c. *Martini Zeileri Epiſt. P. I. Epiſt. 63. Rudolphi* Paſtoris eccleſiae parochialis Suchenſis in Weſtphalia itinerarium *Balduino de Steinfort*, Epiſcopo Paderbornenſi inſcriptum

BO LENFANT, *quondam Ecclesiaste apud Reformatos Gallos Berol.* δ)

§. IX.

Si ex numero argumentorum diiudicanda veritas, fortissima erit Harduini sententia, sed si ex interno valore, infirma satis deprehendetur. Res clarior fiet eundo per singula

§. X.

Ipsum primum HARDVINI argumentum minime stringit; ne dicam, quod πρωτον ψευδος in eo lateat, quo remoto reliqua argumenta singula sponte sua corruent. Prouocat ad promissum, quod Saluator suis discipulis antequam mortem subiret, dedit Matth. XXVI, 31. μετα το εγερθηναι με προαξω υμας εις την Γαλιλαιαν; quod repetitum legimus Matth. XXVIII, 10. υπαγετε απαγγειλατε τοις αδελφοις μου, ινα απελθωσιν εις την Γαλιλαιαν κακει με οψονται. Illud promissum de non alia nisi prima primi diei apparitione accipiendum esse omnibus viribus contendit Harduinus, vnde etiam verbis Matthaei ex mente sua addit *pour la premiere fois*. Sed hoc ipso peccat contra regulam quam Barradio obiecit dicendo *c'est une glosse qu'il n'est pas permis d'ajouter au Text Sacré*. Quid enim eius το *pour la premiere fois* aliud est quam glossa Textui Scripturae addita, fundamento destituta. Euoluantur loca sibi inuicem parallela Matth. XXVI, 32. Marc. XIV, 27. 28. Matth. XXVIII, 7. et 10. Marc. XVI, 7. et patebit clarissime, quod vel sola repetitio crebrior probat, solennem a Christo discipulis promitti apparitionem, quae in Galilaea, sed quando et quo ordine futura sit, non addi; certe verba μετα το εγερθηναι με diem non definiunt. Quin imo contrarium fere elucescit, promissum Domini de prima post resurrectionem επιφανεια non agere, siquidem solennis promittitur gregis dispersi congregatio, at vero apostoli soli hunc gregem non constituebant, sed omnes quotquot discipulorum nomine

 venie-

ptum, et *D. Sam. Andreae* Dissertationem *de vestigiis pedum Christi in monte Oliueti.*

δ) In praefatione Gallicae versioni N. T. quae Amstelodami 1718. prodiit praemissa: seorsim haec praefatio cum notis et additamentis Praecl. Dn. IO. FRID. CHRIST. ERNESTI prostat Lips. 1730. sub titulo: *Gründliche Vorbereitung die Bücher neues Testaments zu lesen pag. 95.*

veniebant. Non obſtat, quod obiicies, attamen Chriſtum ad ſolos locutum eſſe apoſtolos, nam ſolos tum praeſentes habebat, ſed non ſolos intellexiſſe verſus 31. cap. XXVI. Matth. euincit qui allegat vaticinium ex Zacharia c. XIII. 7. Παταξω τον ποιμενα και διασκορπισθησεται τα προβατα της ποιμνης. Huic Diſſipationi opponitur v. 32. praegreſſio Saluatoris in Galilaeam, vbi obſerua talem notari praegreſſionem, qualis ſolet eſſe paſtoris ante gregem; quorum igitur Diſperſio, eorum eſt congregatio, atqui diſperſio et ſcandalum quod ex cruenta Domini morte capiebatur, non tantum Apoſtolorum fuit, ſed et reliquorum, quod vel ex exemplo Emaunticorum diſcipulorum Luc. XXIV, 21. conſtat; pertinet ergo promiſſio non ad ſolos apoſtolos ſed ad omnes diſcipulos, quibus etiam fratrum nomine comprehenſis per foeminas Saluator optimus ſalutem nunciari iuſſit. Atqui Diſperſi hinc inde diſcipuli ipſo die primo reſurrectionis iterum colligi et in vnum coire coetum vix ac ne vix quidem potuerunt. Proinde tempus illis concedendum et aptus ſimul locus indicendus erat, quo timidae oues a luporum, Iudaeos puto, inſidiis, quas timebant, tuto conuenire poſſent. α) Aptior locus non fuit, quam Galilaea prouincia (a cuius per vniuerſum codicem ſacrum, prouoco ad omnia loca, recepto vſu praeter vllam neceſſitatem procul diſcedit Harduinus) remota ab vrbe Hieruſalem, maxima credentium multitudine cum ob educationem tum ob perpetuam Chriſti conuerſationem referta. β) Addo his ipſum HARDVINI argumentum diſcipulos vnico et primo die iter ſuum in Galilaeam prouinciam quam h. l. intelligendam eſſe ex ſequentibus eluceſcet, abſoluere ibidemque prima Domini apparitione roborari propter diſtantiam non exiguam non potuiſſe, ex quo facile patet, Soſpitatorem impoſſibilia non exegiſſe, mentemque illius neutiquam fuiſſe, quando diſcipulis abitum in Galilaeam imperauit, vt abruptis feriis paſchalibus primo confeſtim die viam imperatam aggrederentur. Monuit autem Chriſtus primo mane iterumque moneri per angelos voluit diſcipulos de ſuo promiſſo, vt recordarentur omnium, quae de paſſione

α) vide GERHARDVM in *Harm. Paſſionis Chriſti pag. m. 218.* et IO. MARCKIVM in *Hiſt. Exalt. Chriſti L. I. C. 14.*

β) confer LAMPIVM in *Comment. ad Euangelium Ioannis Tom. 3. p. 723.*

passione pariter ac resurrectione sua praedixerat, et Scripturae fidem haberent Luc. XXIV, 8. Sed ponam, etsi nunquam concedam: valeat glossa HARDVINI, sit ita, Dominum promisisse se primo in Galilaea apparriturum, num inde consequens est: Ergo non prius, quam in Galilaea, ergo primo statim die in Galilaea apparere debuit? Ergo Galilaea non est prouincia; quis quaeso haec exsculperet? Id consequitur: Ergo Saluator, si prius apparuit pro abundanti sua gratia plus praestitit quam pollicitus erat, nec tamdiu quidem, vsque dum in Galilaeam peruenirent suos in dubio relinquere voluit. γ)

A promisso ad complementum promissi prono pede progredior quod Matthaeus c. XXVIII, 16. refert. Nullum hic deprehendo vestigium, ne minimum, quod apparitio ibi relata pro prima sit habenda. Vix crediderim HARDVINVM arctissimum relationis nexum inter v. 10. et 16. praetensurum, quem ipsa de custodibus intercalata historia dirimit, quum ex variis per vniuersam Historiam Euangelicam exemplis constet, non omnia prouti gesta sunt, ab vno atque eodem Euangelista pleno et indiuulso ordine tradi, sed hunc illas, illum alias circumstantias interdum integras historias nunc omittere nunc intertexere quae inter se diligenti studio sunt connectendae. In quo studio ipse HARDVINVS nobis praeiuit, dum Harmoniam Euangelistarum quoad primam, quam vocat apparitionem fini Dissertationis suae addidit, et actis a Matthaeo scriptis multa ex reliquis Euangelistis inseruit. De qua tamen Harmonia postea dispiciemus. Vbi igitur Matthaeus refert post nuncium a mulieribus v. 10. latum discipulos v. 16. profectos esse in Galilaeam, non innuit eos confestim in viam prosiluisse, sed multa adhuc interea temporis geri, variae rediuiui apparitiones discipulis euenire poterant, quae quanquam a Matthaeo non recenseantur, siquidem vt HARDVINO ipsi placet loqui, voluit *abregé finir*, negandae tamen ideo non sunt aut in vnam congeriem velint, nolint cogen-

γ) Consentientes voco B. GERHARDVM in *Harm. Resurr. p. 296.* et RVSIVM in *H. E. Tom. 3. Vol. I. p. 874.* qui duo praeter haec, ille quidem ineptias *Iuliani Apostatae*, hic vesaniam Iudaei *R. Iac. Amram* Christum בפיו לא מרמה: Es. LIII, 10. mendacii incusantium, quod in Iudaea se visendum praebuerit, cum in Galilaea id promiserit futurum, notarunt.

cogendae, vt Iesuitam fecisse videmus. Maluit autem Matthaeus missis reliquis, quae ante et post contigerunt, apparitionibus huius tantum επιφανειας in Galilaea factae mentionem facere prae reliquis euangelistis, quandoquidem promissi de ea dati, prae reliquis ter repetitis vicibus meminerat. Phrasis tandem v. 16. οἱ δε εδιςασαν, obstat, quo minus apparitionem illam pro prima habere queamus: nec enim de τοις ἑνδεκα vt Grotius vult nec de Thoma solo vt Harduinus mauult, dici poterat: οἱ δε εδιςασαν. Vndecim apostoli προσεκυνησαν vt Matthaeus ait, quod ipsum fidei actum inuoluit, Thomas vero, vtpote indiuiduum, numerum pluralem solus explere nequit, ergo oportuit alios adhuc praeter vndecim apostolos isti apparitioni in Galilaea interfuisse, id quod argumentum ad §. XV. vberius deducetur.

§. XI.

Corruit igitur primum HARDVINI argumentum, quo ex collatione promissi cum complemento suo probare voluit apparitionem Christi in Galilaea oportuisse primam esse, quae primo post reditum eius in vitam die apostolis euenerit. Facilior progressus erit ad destruendum *alterum* argumentum priori superstructum. Argumentatur ab impossibili: nimirum discipulos ipso resurrectionis die abiisse in Galilaeam, quod ex cit. Matth. XXVII, 16. male probauit, rediisse etiam eodem die in vrbem, quod ex eo coniicit, quia duo Emmauntici discipuli reduces apud illos diuerterint. Luc. XXIV, 33. At vero inter omnes constare Geographos, Galilaeam ab vrbe duodecim milliaria distare, quo igitur vento, quoue vehiculo vno die 24 milliaria absoluerint, concipi non posse. In eo quidem me prorsus habet consentientem Galilaeam procul ab vrbe distitisse, nec est qui veritatem testimoniis Topographorum omnium suffultam neget. Addo, ipsam Distantiam Galilaeae ab Harduino stabilitam nimis adhuc arctam esse, cum IOSEPHVS α) testetur trium dierum spatium requiri ex Galilaea per Samariam Hierusalem petenti, et RELANDVS ex Eusebio et itinerario Hierosolymitano annotet, quod ab vrbe Hierusalem vsque ad Scythopolin quae ad oram Galilaeae sita est, 62 milliaria Romana sint, quae Romana

α) in vita sua pag. 1019. Edit. Lips.

na computandi ratio quia communi conſenſu in definienda diſtantia locorum ſanctorum adhibetur, procul dubio etiam ab HARDVINO obſeruata eſt, etſi non definiat, Romana, an Gallica milliaria intelligat; 62 autem milliaria Romana 15 milliaria Germanica et dimidium conſtituunt. Igitur nec illud nego, impoſſibile fuiſſe, vt diſcipuli qui profecto curribus velocibus et equis non vtebantur, ſed pedibus, intra vnius diei ſpatium iter ſuum in Galilaeam emetiri nedum remetiri potuerint. Sed id nego et pernego, quod diſcipuli, ſicut HARDVINVS fingit, ipſo reſurrectionis die in Galilaeam abierint; locus ex Matthaeo citatus nihil probat, quod in antecedentibus probatum dedi: nec ex Luc. XXIV, 33. vllum peti poteſt praeſidium, ſiquidem ibi ne γρῦ quidem legitur de reditu Apoſtolorum ex Galilaea, niſi Emmaum forte Galilaeam dicere velis, ſed ſic duo ſaltem diſcipuli, non vndecim Apoſtoli abiiſſe dicendi eſſent contra Matth. XXVIII, 16. Refert enim Lucas duos illos diſcipulos, qui ex vrbe in vicum Emmaum abierant, viſione Saluatoris rediuiui et inſtitutione mirifice roboratos, noctem ingruentem non horruiſſe, ſed reditum in vrbem properaſſe vbi τȣς ἑνδεκα cum aliis diſcipulis maribus et foeminis offenderint, qui relationi eorum, quae demum v. 35. legitur, anteuertentes ingredientibus duobus acclamauerint ὅτι ὁ κυριος οντως ηγερθη και ωφθη Σιμωνι. β) Pror-

β) Non ignoro quosdam interpretum cum GROTIO et B. MAIO patre verba haec Emmaunticis vindicare, ſed optimo iure refutantur ex nexu grammatico, qui exigit, vt vocem λεγοντας ad diſcipulos congregatos non ad reduces referamus, de his enim in caſu nominatiuo dici debuiſſet, λεγοντες. Aliam tamen praeeunte LIGTFOOTO iniit εξηγησιν Venerab. RVSIVS in *H. E. T. 3. Vol. 2. p. 1508.* quando iſta quidem verba congregatis Apoſtolis non abiudicat, interrogatiue tamen reddit: num quid reuera ſurrexit Dominus, apparuitque Simoni? nimirum vir ſummus Cleophae ſocium in itinere Petrum Simonem fuiſſe coniicit, quem quum citius quam propoſitum iter in Galilaeam (eo enim vtrumque per vicum Emmaum contendiſſe arbitratur) abſoluere potuiſſet, redeuntem cernerent οἱ ἑνδεκα, admirabundos et ſubdubitantes ſciſcitatos eſſe, numquid reuera ſurrexit Dominus? Sed, ne dicam, loca, quae pro particula ὅτι h. l. pro num, an, accipienda ex N.T. Matth. XVII, 10. Marc. IX, 11. adducta ſunt, vix probare, cum in vtroque loco non per num? ſed per δια τι, cur? το ὅτι vertendum ſit, vide *Summe Ven.* WOLFII *Curas Philologicas in Euangelia pag. 484. et 490.* nititur iſta paulo coactior interpretatio dubia hypotheſi de Petro Cleophae comite, de qua quidem in Harmonia ſubnexa diſſeretur.

Prorſus nihil de Galilaea hic occurrit. Quin imo diſertis verbis HARDVINVS et Lucae et ſibi ipſi contradicit: Lucae quidem, qui Emmao in vrbem reduces diuertiſſe apud apoſtolos nouaque, dum adhuc inter ſe diſſererent ταυτα αυτων λαλουντων v. 36. apparitione Soſpitatoris exhilaratos eſſe teſtatur: cum Harduinus contra et reditum diſcipulorum et coetum congregatorum apoſtolorum et domum congregationis et apparitionem ipſam nocturnam ex vrbe exulare iubeat et in montem Oliueti cuius partem Galilaeam appellitat, transferat: ſibi ipſi contradicit, dum ſui non conſtans nunc eadem veſpera *le ſoir meme* vndecim apoſtolos ex Galilaea montana rediiſſe nunc, vt Harmonia ſubiuncta clarius docebit, eadem veſpera in eadem Galilaea foribus clauſis ſe continuiſſe tanta cum confidentia quaſi ipſe interfuiſſet, fingit, nunc illam in Galilaea fictitia, excluſa veſpertina, primam, nunc, veſpertinam eandem cum illa conſtituit. Dices, vt in Epitome citata relatum legi, etſi HARDVINVS de eo ſileat, forte diſcipulos ex Galilaea oliuifera reuerſos iterum exiiſſe cum Emmaunticis reducibus. Reſpondeo, forte etiam imo certe non exiiſſe; nam vix redierant diſcipuli duo, et τα εν τη οδω enarrauerant, cum ταυτα δε αυτων λαλουντων Chriſtus appareret, poſt quam demum apparitionem nocte iam protracta exiiſſe quis aut quo fundamento dixerit?

§. XII.

Tertium HARDVINI argumentum noſtram de Galilaea prouincia ſententiam abſurdi incuſabat, quandoquidem mandatum Domini de itinere in Galilaeam faciundo vagum fuiſſet et indeterminatum, cum Galilaea ampliſſima ſit regio, in dubio igitur neceſſario haeſiſſe diſcipulos, quorſum ſe cum euentu proſpero in Galilaeam ſuperiorem an inferiorem; in agrum, montem an vicum conferre deberent. Rem vt clarior fieret, illuſtrauit inſtantia: quod ſi rex Galliae tribuno militum iuberet, vt in Picardiam abeundo iuſſa regia ibi expectaret, num hoc ipſo mandato tribunus viam quam ingredi, locum in quem tendere deberet, edoctus eſſet? Sed ſuo ſe ipſum gladio iugulat Harduinus, ſiquidem eodem dubio, quo noſtram, ſuam premit hypotheſin. Nonne quaeſo mandatum aeque vagum et indeterminatum fuit, ſi diſcipulis iuſſit vt in Galilaeam irent ſed non addidit,

quam

quam mente intendat Galilaeam prouinciam an iugum montis oliuiferi? nonne diſcipuli aeque dubii fuerunt de mandato exſequendo? et quae cauſa dabitur, cur Chriſtus ad ipſum montem Oliuiferum tendens per Matth. XXVI, 30. adeo obſcure de illo pronuntiauerit? v. 32. Verba Matthaei c. XXVIII, 16. *οι δε ενδεκα μαθηται επορευθησαν εις την Γαλιλαιαν εις το ορος, ὃ εταξατο αυτοις ο Ιησους*, tantum abſunt, vt pro Harduino faciant, quia non mandatum de quo diſputamus, ſed exſecutionem mandati continent, vt potius ex iisdem ſponte colligamus, Dominum ad ſuos neutiquam de Galilaea indeterminate locutum, ſed certum quoque locum in dicta prouincia ſpeciatim aſſignaſſe, in quem ſe conferrent, ne minus pleno numero venirent: etſi igitur locus iſte in relatione mandati nec a Matthaeo nec a Marco ſit nominatus, ab eorum tamen ſilentio ad mandatum ipſum vagum non valet conſequentia, cum Matthaeus, vbi Diſcipulos iuſſo audientes in Galilaeam abiiſſe refert, locum conuentui dictum ſatis clare indicet *το ορος*, quod quamuis Matthaeo etiam ſit *ανωνυμον*, addit tamen fuiſſe *ορος, ὃ εταξατο αυτοις ο Ιησους*, ex quo patet, montem iſtum, qui nobis quidem nunc ignotus eſt, diſcipulis per mandatum, quod acceperant, notiſſimum extitiſſe. Nec reiicienda prorſus eſt coniectura veterum et recentiorum, Saluatorem optimum eundem montem glorioſae ſuae apparitioni poſt reditum ex mortuis deſtinaſſe, in cuius faſtigio ante dolorificam mortem glorioſam illam *μεταμορφωσιν* expertus erat, de quo tamen ipſo certe definiendo Viri docti nondum vtique conuenire potuerunt. α) Inſtantia quam *Harduinus*, vt illuderet

C 2 com-

α) Conſtat ex IOSEPHO *L. 3. de Bello Iudaico* Galilaeam diuiſam eſſe in inferiorem et ſuperiorem; inferior ἡ κατω a Tiberiade vſque ad vrbem Zabulon ſe extendit contermina Samariae et Iudaeae, ſuperior, extimus tractus Galilaeae, terra Naphthali, Syros et Phoenicios, in quorum ditione celebratiſſimae vrbes Tyrus et Sydon fuerunt, attigit, vnde etiam גליל הגוים a vicinis et ſubinde Iudaeis permixtis gentibus dicta eſt Eſ. VIII, 23. de qua quidem appellatione, cui Galilaeae, ſuperiori, an inferiori, competat, rem in medio reliquit B. BVDDEVS in *Diſſert. laudata C. I. §. 3.* ſed euicit Cl. VITRINGA in *Commentario Ieſaiano Vol. I. p. 289.* Fallor, aut LIGTFOOTVS errauit, dum *Vol. 2. Operum pag. 578. Edit. Ant.* Galilaeam ſuperiorem in Hiſtoria Euangelica κατ' ἐξοχην interdum Galilaeam dici aſſeruit prouocando cum ad Canam Galilaeae, quae tamen non procul a Capernaum in inferiori Galilaea ſita erat, teſtibus RVSIO

communi sententiae a Rege et tribuno militum dedit, plane huc non conuenit. Magnum quippe discrimen est inter regem homi-

RVSIO in *H. E. Vol. I. p. 430.* et LAMPIO in *Comment. Tom. I. p. 448.* tum ad Ioh. IV, 41. vbi Dominus in Galilaeam abiisse dicitur, qui tamen v. 43. noluit ob contemtum sui in patria, quae Nazareth erat, oppidum Galilaeae inferioris, esse; verum enim vero in loc. Ioh. cit. sola quidem Nazareth per πατρίδα Christi vt Luc. IV, 23. intelligitur, sed Galilaea, in quam abiit territorium Galilaeae extra oppidum Nazareth situm notat, perinde vt Ioh. III, 22. Sospitator cum in vrbe Hierusalem aliquamdiu fuisset, venisse dicitur εις Ιουδαιαν γην in territorium Iudaeae ab vrbe, licet ipsa vrbs etiam ad Iudaeam pertineret, distinctum. Vide RELANDI *Palaestinam S. T. I. p. 182.* LAMPII *Comment. T. I. p. 802.* Mirum igitur visum est, cur Summe Ven. RVSIVS eandem LIGTFOOTI sententiam ita adoptauerit, vt *Tomo III. P. 2. p. 1577.* assereret Galilaeam in Scriptura S. appellatam semper esse superiorem, quin imo Saluatorem optimum raro in inferiorem venisse; cum contrarium per vniuersam Historiam Euangelicam pateat, Dominum frequentissime in inferiori fuisse, vbi lacus Genezareth, alio nomine mare Tiberiadis ab vrbe adiacente, Nazareth, Capernaum, Bethsaida, Chorazin, vrbes, in quibus plurima Christi miracula facta sunt. confer LENFANTII *Introductionem p. 339. ss.* Tres praesertim in Galilaea montes celebrati erant. I. Carmelus in Galilaea superiori ad vrbem Doram; multa de antro Eliae, quod in eo monte conspicuum sit, et vita monastica, quam ibi degerit, disserit QVARESMIVS *in Elucid. Terrae S. Tomo 2. Libr. 7.* II. Hermon Talmudicis monente LIGTFOOTO, mons niuis חור תלגא dictus, sed videtur confundi Hermon in Galilaea prope Nain et torrentem Endor, *mons rore plenus*, de quo Ps. LXXXIX, 13. cum Hermone alio monte, monti Libano adsito in Phoenicia. III. Thabor in medio Galilaeae inter Nazareth et Genezareth situs, situ non tantum sed et arborum et herbarum decore iucundissimus. Vetus est sententia, hunc esse montem, in quo Christus transfiguratus est, HIERONYMVM, CYRILLVM HIEROSOLYMITANVM, EVTHYMIVM et DAMASCENVM nominasse sat erit, vide DANZII Differt. *de Inauguratione Christi §. 43.* Consentit QVARESMIVS *L. VII. c. 2.* vbi templum ab HELENA, *Constantini Magni Matre* in honorem trium Apostolorum, coram quibus Christus transfiguratus est, exstructum refert et ad NICEPHORVM prouocat *L. 8. Histor. cap. 30.* Contradicit Veterum sententiae praeter LIGTFOOTVM *Vol. 2. p. m. 447.* RELANDVS in *Palaestina S. L. 1. pag. 246.* Ratio haec est, quia historia de Christo transfigurato Marc. IX, 2. immediate excipiat concionem Caesareae habitam cap. VIII, 27. quae procul a monte Thabor, quippe 25 milliaria Romana secundum calculum LENFANTII, quorum quatuor vnum Germanicum constituunt, distabat, quum tamen nulla itineris a Christo facti mentio fiat, quin imo Marcus addat, Dominum ex monte reducem Caesarea egressum et per Galilaeam profectum esse; maluit igitur sospitatorem discipulos in alium montem, qui non procul a Caesarea absit, eduxisse. Sed vereor, vt argumenta prolata fidem antiquitatis subuertere valeant;

hominem et inter Saluatorem omniscium, qui etiamsi suis abitum in Galilaeam loco speciatim non determinato imperasset, dicto tamen suo audientes vbique locorum inuenire, et promissa apparitione recreare, discipuli autem hac notitia freti etiam vagum, vt Iesuita loquitur, mandatum confidentius, quam quidem tribunus iussa regis ignorantis, quid foris agatur, exsequi poterant.

§. XIII.

Quartum HARDVINI argumentum ordinem institutionis duorum sacramentorum baptismi et remissionis peccatorum tangit, qui male turbetur, nisi apparitionem illam apud Matthaeum loco saepius citato ei, quae Ioh. XX, 19. enarratur, praeferamus, et quod consequens esse videtur per Galilaeam alium locum quam prouinciam intelligamus. Profecto ficulneum argumentum. Primo in eo peccat, quod potestatem remittendi peccata sacramentis annumeret. Fallitur HARDVINVS cum infallibili ecclesia. In vulgus notum est septem a Pontificiis Noui Foederis Sacramenta numerari, quae sunt referente BECANO α) Baptismus, Eucharistia, Confirmatio, Poenitentia, extrema vnctio, ordo, matrimonium. Sed dudum a nostratibus demonstratum est, quinque posteriora Sacramentorum N. T. proprie et vere sic dictorum nomine nulla ratione venire, quandoquidem illis non competat Definitio Sacramenti. β) Quod in specie Sacramentum

leant; quidni enim Dominus sex dierum spatio, tot enim dies inter concionem eius et transfigurationem in monte intercesserant per Matth. XVII, 1. Marc. IX, 2. ab vrbe Caesarea in montem Thabor venire poterat? RELANDVS haec non negat. Nihil refert, quod nulla itineris huius mentio occurrat, sufficit: αναφερει αυτους, εις ορος ὑψηλον κατ᾽ ιδιαν μονους v. 2. nec obstat, quod Marcus v. 28. asserit, Christum cum discipulis εκειθεν sc. ex domo, in quam v. 28. concesserat, non Caesarea, quae ibi non amplius nominatur, egressum in Galilaeam perrexisse, quum non adeo infrequens sit, vt quis in regione quadam sit et tamen per eam proficisci, scilicet in interiora eius penetrare, dicatur, monente BVDDEO in *Dissert. cit. Sect. 2. §. 10.* Non igitur satis praegnans causa est, cur a consensu veterum, quanquam Scriptura sileat, discedamus. Plura dabit *Bibliotheca Bremensis Classis VI. Fasc. 6. p. 969.*

α) in *Compendio Manualis Controuersiarum p. 342.*

β) vide Systemata passim inprimis SCHERZERI *Anti-Bellarminum*, CARPZOVII *Isagogen in Libros Symbolicos*, et WALCHII *Introductionem in Controu. Relig. extra Eccles. P. 2. p. 387.*

tum poenitentiae, seu, vt vir doctus loquitur, remissionis peccatorum attinet, discrimen maximum, quod poenitentiam inter et remissionem est, cum quoad subiectum, tum formam, tum finem proximum, tum effectus, tum adiuncta, non vrgebo, inanem potius lusum, qui vsu vocis sacramenti laxiori notioni inhaerendo committitur, notabo. Etenim si quicquid habet mandatum Dei et promissionem gratiae sacramentum vocare velis, recte monuerunt pii Confessores non septem tantum sed plura esse sacramenta, certe preces octauum constituere. γ) Vnde est, quod iidem in Apologia Aug. Conf. hypothetice, non absolute, quod velim Romanenses obseruent, ne nos cum BECANO inconstantiae et consensus errorum incusent, poenitentiam sacramentis addant, atque adeo tria Sacramenta numerent. Verba satis perspicue prostant: Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita promissio gratiae facile est iudicare, quae sint proprie sacramenta: nam ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo proprie dicta sacramenta; et hinc nonnullis interiectis concludunt: vere igitur sunt sacramenta baptismus, coena Domini et absolutio, quae est sacramentum poenitentiae. Quid quod? etiam ordinem, prout de Ministerio verbi intelligitur, sacramenti nomine signant. Quid manifestius MELANCHTHONEM, cuius calamo scripta Apologia, non absolute affirmare tria sacramenta, sed cum conditione et κατ' ανθρωπον loqui, si nimirum ponatur Definitio, quam antea dederat. Remota vero definitione, remouebitur conclusio; scilicet varius vocis sacramenti vsus est cum apud profanos tum apud ecclesiasticos scriptores: in sacra enim Scriptura non occurrit, nisi quod versio vulgata το μυστηριον, quod Paulus de spirituali coniugio Christi et fidelium Ephes. V, 32. pronunciat, reddat per sacramentum. δ) Sed in controuersia de numero sacramentorum, quam non leuis momenti esse asserit B. CHEMNITIVS, ε) quaestio est de sacramentis proprie et stricte sic dictis, an plura sint praeter

γ) Euoluatur *Apologia Aug. Conf. Art. VII. de numero et vsu sacramentorum p. 201. et 202. Edit. Rechenb.*

δ) Confer BVDDEI *Theol. Dogm. L. 4. C. 1. §. 16.* et WALCHII *Introd. in Libros Symb. L. I. c. 4. §. 18. p. 461.*

ε) in *Examine Concil. Trident. P. 2. p. m. 148.*

praeter duo absque controuerſia talia Baptismum S. et S. Euchariſtiam. Abſtrahantur eſſentiales proprietates ſacramentorum duorum omnium ore talium, et videbimus, tria requiri ad ſacramentum vere ſic dictum, quorum vno requiſitorum deficiente non erit ſacramentum, quod pariter ſe habeat atque duo iſta, id quod tamen Pontificii in Concilio Tridentino ſub anathematis fulmine contendunt ζ), α) mandatum, β) elementum viſibile et ſubſtantiale, γ) promiſſum gratiae. Iam ſi ad hanc triplicem normam exigamus ſacramentum poenitentiae et cum ea coniunctae remiſſionis peccatorum (reliqua ſacramenta h. l. non nos attinent,) patet vere et proprie ita dici non poſſe. Adeſt mandatum, adeſt promiſſum gratiae, ſed deficit elementum viſibile et ſubſtantiale. Subſtituunt, quod non ignoro, aduerſarii, etſi mirum in modum hic inter ſe diſſentiant, materiam et formam ſacramenti, materiam in opere peccatoris poenitentis, nimirum in poenitentia ipſa, ad quam contritionem cordis, confeſſionem oris, et ſatisfactionem operis requirunt, formam in verbis Sacerdotis ordinati: ego te abſoluo, ponentes. Sed ne dicam, male ſic poenitentiam concipi, quid quod? diſcrimen inter peccatorem vere poenitentem et hypocritam, imo deſperabundum Iudam tolli, materia ſacramenti eſſe debet viſibilis, at vero contritio cordis in ſenſus non cadit, niſi per geſtus externos dubios et fallaces, eſſe debet ſubſtantialis, atqui nec contritio, nec confeſſio nec ſatisfactio nec impoſitio manus ſunt ſubſtantiae, ſed partim cogitationes, verba et facta hominis, partim ritus eccleſiaſtici humani: materia debet eſſe quiddam, quod a miniſtro applicatur recipienti, poenitentia eiusdemque actus Pontificii poenitenti non applicantur; deficiente igitur materia ſacramenti poenitentiae deficit etiam forma, et quid quaeſo ineptius, quam cum Scoto abſolutionem ſacerdotalem formam ſacramenti poenitentiae vocare? forma dat eſſe rei et conſtituit eius eſſentiam. Ergo abſolutio a peccatis conſtituit eſſentiam dolo-

ζ) *Canon I. Seſſ. VII.* ita habet: Si quis dixerit, Sacramenta nouae legis non fuiſſe omnia a Ieſu Chriſto, Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Euchariſtiam, poenitentiam, extremam vnctionem, ordinem et matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere et proprie ſacramentum, anathema ſit.

doloris, confessionis, satisfactionis, vt sit verus dolor, vera confessio, vera satisfactio? Quibus tandem omnibus accedit, quod poenitentia et remissio peccatorum aeque in V. T. ac quidem nunc in Nouo obtinuerint. Si igitur poenitentia V. T. non fuit sacramentum secundum ipsa Synodi Tridentinae decreta, aut aliter iustificati sunt Patres V. ac fideles N. T. contra decreta Synodi *Hierosolymitanae* Act. XV, 11. aut poenitentia N. T. quoque Sacramentum non erit. Par enim vtriusque in essentialibus ratio. η) Locus ille Iohannis XX. classicus, ad quem teste *Heideggero* tanquam ad asylum confugiunt, quod vel exemplo Synodi dictae et BELLARMINI constat, errorem de Sacramento poenitentiae non probat, nec enim materia nec forma verbis Christi, quae ibi leguntur, est determinata: *λαβετε πνευμα ἁγιον, αν τινων αφητε τας ἁμαρτιας αφιενται αυτοις, αν τινων κρατητε, κεκρατηνται*; Verba, vt patent, sunt generalia nihil de signis poenitentis enumeratione peccatorum et iniungendis mulctis, nihil de signo et voce remittentis confessoris praecipientia. ϑ) Non addam male ab HARDVINO restringi potestatem remittendi peccata ad peccata post baptismum commissa, siquidem omnium peccatorum remissionem et praedicare et conferre iubentur discipuli gentibus non baptizatis Luc. XXIV, 47: *κηρυχθηναι επι τῳ ονοματι αυτȣ μετανοιαν και αφεσιν ἁμαρτιων εις παντα τα εθνη.* Male etiam sibi persuasum habet, quod Saluator demum Ioh. XX. adeoque post resurrectionem facultatem remittendi peccata discipulis concesserit. Oportuit esse memorem, dudum claues sic dictas regni coelorum apostolis traditas fuisse per Matth. XVI, 19. quo in loco non Petrum solum sed vniuersum collegium Apostolicum, cuius nomine Petrus v. 17. confessionem de Christo, quae ore Domini *πετρα*, vt doctrina Apostolorum *θεμελιος* Eph. II. dicitur, ediderat, intelligendum esse, euidentissime ex Matth. XVIII, 18. constat, vbi eadem potestas iisdem verbis omnibus apostolis confertur, id quod ipse LVDOVICVS

η) Consulantur B. CHEMNITIVS in *Exam. Concil. Trid. P. 2. p. 315.* HEIDEGGERVS in *Tumulo Concil. Trid. Vol. 1. p. 937.* CARPZOVIVS in *Isagoge in L. L. S. pag. 411.*

ϑ) HEIDEGGERVS l. c. *pag. 944.*

cvs ELIAS DV PIN inficiari non audet, ι) vt adeo turpiter hallucinentur qui primatum Petri et Pontificum Romanorum tanquam Successorum Petri inde inferunt. Et quanquam de hac ipsa apostolis concessa potestate, quam Christus verbis metaphoricis λυσαι et δησαι exprimit, varie sentiant viri docti, siquidem alii praeeuntibus κ) SELDENO, LIGTFOOTO et ex nostratibus B. IOH. BEN. CARPZOVIO vtramque vocem more loquendi Talmudico explicandam censuerunt, ita vt το δησαι inferret prohibere illicita, et responderet Talmudico אסר, το λυσαι praecipere licita, et conueniret τω התיר vel שרא, alii cum B. GOTOFREDO OLEARIO et IOH. CLERICO per δησαι morborum inflictionem, per λυσαι liberationem a morbis intelligunt; satis tamen euictum dederunt Theologi, quos inter eminet B. SEBASTIAN. SCHMIDIVS, λ) et contextum et parallelismum Ioh. XX. et frequentiorem vocum vsum exigere, vt per vtramque vocem potestatem remittendi et retinendi peccata intelligamus. Nec obstabit forte, quod το ligare et soluere l. c. cum clauibus coniungatur, quarum potius est claudere et aperire. Sed quis non perspicit, metaphoram a ligatione et solutione vinculorum siue catenarum petitam esse, quae appositis seris impingi et ope clauium remoueri solent. μ) Quum igitur potestas peccata remittendi et retinendi pro varietate subiecti απιςῳ et πιςῳ discipulis eorumque in munere successoribus non demum a Saluatore rediuiuo Ioh. XX. fuerit concessa, sed antea iam demandata, frustra Harmoniarum Euangelicarum conditores accusat HARDVINVS, quod natura-

ι) *de antiqua Ecclesiae disciplina Dissert. IV. c. 1. §. 1.*

κ) quos largo numero citauit Summe Ven. WOLFIVS in *Curis Criticis ad Euang. Matth. pag. 256.*

λ) in peculiari Dissertatione *de Clauibus Ecclesiae*, quae duodecima est in Fasciculo Dissert. Theol.

μ) B. SEB. SCHMIDIVS l. c. ita respondet obiectioni: referuntur haec duo verba ad rem clauium, res clauium sunt verbum et sacramenta. Haec non tantum similitudinem cum clauibus habent, vt coelum iis claudi et aperiri dici possit, sed etiam cum instrumentis carcerum, quibus homines vel in vincula constringuntur, vel a vinculis soluuntur, vt illis dici possint vincula vel constringi vel solui.

turalem ordinem, vi cuius Baptismus ante potestatem peccata post Baptismum commissa remittendi institutus esse deberet, inuerterint, qui etiamsi inuersus esset, nihil tamen roboris argumento HARDVINI enasceretur. Etenim non video nexum ratiocinii: in apparitione Christi Matth. XXVIII, 16. institutus est *Baptismus*, in apparitione Ioh. XX, 21. commissa est *discipulis* potestas remittendi pecata, Ergo illa Matthaei prior est illa Iohannis. Num ex ordine quo se inuicem excipiunt haec duo, Baptismus et remissio peccatorum colligere licet ordinem institutionis. Argumentor; Sacramentum Baptismi antecedit ordine vsus Sacramentum S. Coenae, Ergo Baptismus prius esse debet institutus quam Coena, conclusionem omnes negant Pontificii; quanquam nos, si dicendum quod res est baptismum non demum post resurrectionem, sed iam tempore Iohannis institutum, post resurrectionem autem solenniter promulgatum et confirmatum esse profiteamur, prouocantes cum ad mandatum diuinitus Iohanni ad baptizandum datum Ioh. I, 33. ex quo recte perinde ac ex materia, forma, fine et effectibus ad conuenientiam Baptismi Iohannei cum baptismo Christi et Apostolorum concludimus, tum ad praxin ipsam discipulorum Ioh. III, 22, 24. cap. IV, 1–2. ν)

§. XIV.

Quintum HARDVINI argumentum vix capio. Prouocat ad Ioh. XXI, 2. vbi narretur, secundam Christi apparitionem factam esse ad mare Tiberiadis in Galilaea; nequit ergo concipere, quo modo post hanc tanquam tempore priorem collocari queat illa, de qua Matthaeus c. XXVIII, 16. differit, posteaquam dixerat Saluatorem dimisisse foeminas v. 10. Sed fateor me non concipere, quomodo HARDVINVS haec concipere nequeat. Interim ad ipsum dubium varia sunt monenda. Primo errat quod appparitionem ad mare pro secunda habeat; perductus forte est voce παλιν qua Iohannes vtitur cap. XXI, 2. vnde etiam ad v. 2. prouocauit, sed scire debuisset παλιν cuius varias notiones exhibet CL. STOCKIVS α) non

ν) videatur Summe Ven. et Magnifici Theologi nostri CHRISTIANI FRIDERICI BOERNERI Dissertatio *de Ioanne πρωτοβαπτιστῃ*.

α) in *Claue Linguae Sanctae Noui Test. p. m. 773.*

non praeciſe id quod ſecundo iteratur, ſed promiſcue quamcunque repetitam rem ſiue actionem denotare. Vnicum ex multis ſufficiat adduxiſſe locum clariſſimum Matth. XX, 5. vti de tertio exitu Domini ad conducendos operarios in vinea παλιν adhibetur. β) Rem omnem euincit verſus 14. cap. XXI. Ioh. qui aperte hanc ipſam viſionem, quam *Harduinus* ſecundam, tertiam dicit: τϐτο ηδη τριτον εφανερωθη ὁ Ιησϐς τοις μαθηταις αυτϐ εγερθεις εκ νεκρων. Ex quo apparet, calculum *Harduini* falſiſſimum eſſe et diſerte Iohanni contradicere. Verum enim vero forte fortius nos nunc premet illud dubium, ſi apparitio Chriſti ad mare non ſecunda, ſed tertia dicenda eſt. Salua res eſt. Inepte concluderes, Iohannes agit de tertia Chriſti apparitione, ergo Matthaeus de prima; nec enim ex textu, nec ex contextu, nec ex Harmonia Hiſtoriae Euangelicae Iohannis cum hiſtoria a Matthaeo ſcripta vllum peti poteſt argumentum, quod conſequentiam ſtabiliat. Inuerti potius argumentum poſſe auguror, quod ſi apparitio Domini Matth. XXVIII, 16. anteceſſerit illam, quae ad mare facta eſt Ioh. XX, 2. haec a Ioanne non tertia ſed quarta fuiſſet appellanda. γ) Sed quae ratio, cur Ioannes επιφανειαν illam tertiam vocet, cum ex Harmonia abunde conſtet, quod ſeptima fuerit? Sunt qui putant, tertiam dicendam eſſe, qua comedendo cum ſuis magis eos conuicerit Dominus de reſurrectionis ſuae veritate, adeoque prima eſſet, quae diſcipulis Emmaunticis, ſecunda, quae veſpera primi diei, et tertia, quae hoc loco contigit, in ſingulis enim illis apparitionibus Soſpitator comediſſe perhibetur; at vero, quum Ioannes Emmaunticis factae apparitionis prorſus nullam faciat mentionem, praeſtat dicere Ioannem non abſolute pronunciare quando ait: τϐτο

β) GROTIVS praeeunte AVGVSTINO obſcure vocem παλιν ad numerum dierum refert, ita vt apparitiones, quae ipſo reſurrectionis die factae leguntur primum diem, illa, quae octauo die Thoma praeſente euenit, alterum, et tertium diem, quae ad mare Tiberiadis facta eſt, GROTIO conſtituant. Ita etiam ſentit HAMMONDVS. CLERICVS igitur nec GROTIVM nec HAMMONDVM ſatis intellexiſſe videtur, dum calculum eorum de tribus alio die non interceptis diebus accepit.

γ) B. GERHARDVS in *Harm. Cap. X. p. m. 27.* et LAMPIVS in *Comment. Tomo 3. pag. 741.*

ἤδη τρίτον ἐφανερώθη, sed in respectu ad solenniores discipulis pluribus, quibus ipse interfuerat, exhibitas; tales equidem quatuor priores Mariae, Mulieribus, Petro, duobus discipulis factae non erant. Ergo prima secundum rationem Iohannis est quae τοῖς δέκα cap. XX, 19. secunda, quae τοῖς ἕνδεκα c. XX. v. 24. obtigit. Consentientes voco B. GERHARDVM, δ) RVSIVM, ε) LAMPIVM. ζ)

§. XV.

Sextum argumentum ex ipsis Matthaei verbis, quae contra communem sententiam stare videntur, petitum est. Recepta nimirum hactenus inter omnes opinio fuit, apparitionem a Saluatore promissam in Galilaea prouincia factam, eidemque praeter apostolos vltra 500. fratres interfuisse testante Paulo 1. Cor. XV, 6. Hanc enim, quae quingentis fratribus euenisse dicitur eandem cum Matth. XXVIII, 16. esse negat Harduinus dissentiens, in dissensum vocat Matthaeum, qui expresse dicat, apparitionem in monte Galilaeae factam vndecim tantum apostolis aedi inclusis euenisse, quae certe 500. fratribus capiendis angustior fuerit. Sed nouo exemplo peccat contra suum ipsius monitum: nihil textui Scripturae sacrae addendum; addit enim verbis Matthaei particulam *tantum*, quasi Christus tantum vndecim apostolis in Galilaea se videndum stiterit. Vero conuenit, Matthaeum tantum τῶν ἕνδεκα mentionem facere, sed non consequens est, ergo vndecim apostoli soli huic apparitioni interfuerunt. Multis instantiis res, si dubia esset ex historia Euangelica infringi posset. Regula enim in vulgus nota est, vnum affirmare non est alterum negare. α) Videantur ea quae in prolegomenis de mulieribus ad tumulum inuisendum venientibus disputauimus. Matthaeus duas tantum nominat, si coniiceres Ergo non plures fuerunt, contradiceres Marco C. XVI, 1. et Lucae XXIV, 10. Nouo etiam exemplo sibi ipsi contradicit Harduinus in Harmonia subnexa statuens Emanuticos discipulos, quorum

δ) *loc. cit. cap. X. pag. 367.*
ε) in *Harm. Euang. Tom. 3. Vol. 2. p. 1150.*
ζ) *Tomo 3. pag. 741.*
α) Videatur B. MICHAELIS WALTHERI *Harmonia Biblica* passim.

quorum alter certe, quisquis alter ſit, Petrus an Alius, Cleophas non ex vndecim apoſtolis fuit, non tantum cum vndecim apoſtolis ſed et cum reliquis συν αυτοις Luc. XXIV, 33. in fictitia Galilaea conueniſſe, quum tamen hic neminem niſi tantum vndecim Apoſtolos admittere velit. Sed video, quum ex ſilentio Matthaei probari nequeat ſolis τοις ἑνδεκα apparitionem in Galilaea factam exhibitam eſſe, iure deſiderari poſſe probationem, quod plures omnino praeter apoſtolos adfuerint, nec enim hoc ex ſilentio Matthaei probari poteſt. Probo id quadruplici argumento. Primum peto ex promiſſo Chriſti, quod profecto non ad ſolos apoſtolos ſed ad omnes qui Chriſto nomen dederant eiusque επιφανειᾳ in fide per mortem Saluatoris debilitata roborari cupiebant, ſpectabat. At vero vberius deductum hoc eſt argumentum, quam vt hic repeti neceſſe ſit. §. X. Alterum ab Emmaunticis diſcipulis mulieribus et reliquis qui ſe collegio apoſtolorum aſſociauerant in vrbe Hieruſalem per Luc. XXIV. quos omnes cum promiſſum Domini ſcirent, et ſuis auribus mandatum de abeundo in Galilaeam partim ex ore ipſius Saluatoris partim ex ore mulierum percepiſſent, apoſtolos in Galilaeam abeuntes non concomitatos eſſe, et pari cum illis felicitate frui noluiſſe perſuadere mihi nulla ratione poſſum. Tertium ſuppeditant verba Matthaei, quae et fidem certam et dubitantem απιςιαν congregatorum in Galilaea exponunt, fidem quidem: οἱ δε ἑνδεκα μαθηται επορευθησαν εις την Γαλιλαιαν εις το ορος, ὃ εταξατο αυτοις ὁ Ιησȣς, και ιδοντες αυτον προσεκυνησαν: dubitantem απιςιαν: οἱ δε εδιςασαν, qui vt facile patet τοις ἑνδεκα opponuntur; nec enim apoſtolis tot apparitionibus, quae praeceſſerant, conuictis vllum adhuc ſupereſſe dubium poterat, nec de Thoma απιςῳ haec interpretanda eſſe, monitum eſt §. X. β)

β) Male BEZA in *Annotationibus ad N. T. voluit* legi ȣ δε εδιςασαν neque dubitauerunt, rationibus ſat leuibus innixus: I. Quia rarum ſit, quod οἱ δε pro ενιοι δε ponatur, ſed monuit iam CASAVBONVS οἱ δε pro τινες δε etiamſi non praecedat οἱ μεν vſitatiſſimo Grammaticis loquendi genere poni, confer LAMBBOS *Exercit. pag. 13.* et RAPHELII *Annotationes Xenophonteas p. 65.* II. Quia de ſolis vndecim Apoſtolis fiat mentio ex v. 18. et 20. collat. cum Act. I, 4. (vbi eadem tradi totus errat BEZA) qui tamen poſt tot apparitiones non potuerint amplius dubitare. Quam difficultatem GROTIVS ſic tollere voluit,

Quartum argumentum ex testimonio Pauli depromo, qui 1 Cor. XV, 6. asserit Dominum επανω πεντακοσιοις αδελφοις εφαπαξ visum esse. γ) Et vt eo minus de veritate huius asserti dubitari queat, prouocat ad quam plurimos fratres adhuc in vita superstites, εξ ὡν ὁι πλειονες μενουσιν ἑως αρτι. Illustrissima sine dubio *est* haec apparitio, qua solennior non datur ab vllo Euangelista

vt aoristum pro plure quam perfecto de dubitatione Thomae et aliorum antecedente acciperet, ita vertendo: quidam vero dubitauerant. Sed textum ipsum inspicientibus apparet, quod phrasis ὁι δε εδισασαν omnino dictioni antecedenti ὁι δε ἑνδεκα μαθηται επορευθησαν κ.τ.λ. και ιδοντες προσεκυνησαν opponatur, alii igitur diuersi ab Apostolis fuerunt, qui dubitarunt. Plane sic statuit THEOPHYLACTVS: ὁι δε ἑνδεκα μαθηται ὁι κορυφαιοι συν τοις λοιποις παντως ἁπασι τοις ακολουθουσι τω Χριστω προσεκυνησαν, ὁι δε εδισασαν, αντι του τινες δε εδισασαν. Dubium ipsum, in quo constiterit, fuse monuit B. GERHARDVS in *Harmonia Resurrectionis* saepe laudata *pag. 427.* non de veritate visionis, quae dependet a veritate resurrectionis, sed de ipsa resurrectionis veritate dubitasse. Rationi nimirum absurdum videbatur, ex mortuis resurrexisse illum, quem die παρασκευης adeo misere tractatum et crudeliter occisum nouerant, ideo assensum suspendebant, nec plena et integra fide statuebant hunc, quem coram videbant, esse Iesum Nazarenum ex mortuis resuscitatum.

γ) Minus apte το επανω a CHRYSOSTOMO versum videtur *superne* quasi Saluator in aere sublimis apparuerit, et postea se ad eos demiserit, vertendum potius *supra*, vt indicet, numerum istum abunde plenum fuisse. Male ergo BEZA pro πεντακοσιοις legi voluit πεντηκοντα ratione minus commoda adductus: *certe mirum est*, inquit, *quingentos hic fratres commemorari*, *quum postea coacto vniuerso coetu in ipsa vrbe Hierosolymorum, in qua vna tum videtur fuisse species ecclesiae, numerentur duntaxat centum et viginti.* At vero, quo modo probabit in vna vrbe Hierusalem ecclesiam Christi fuisse cum ex Act. I, 25. nihil colligi queat, nisi hoc, centum et viginti fideles vna fuisse congregatos. Ergo in Iudaea et Galilaea plures non fuerunt? Profecto Saluator Optimus tempore ministerii sui totam Galilaeam circumiuerat, διδασκων και κηρυσσων το ευαγγελιον της βασιλειας και θεραπευων πασαν νοσον και πασαν μαλακιαν εν τω λαω Matth. IV, 23. Miserat idem discipulos, vt in Iudaea er Galilaea praedicarent euangelium, quare mirum non esse debet, Paulum quingentos fratres numerare. Rectius igitur BEZA sentit, quando hoc ipsum dubium coniecturam appellat, ex qua in tanto codicum et interpretum consensu nihil immutare in textu voluit. Quemadmodum h. l. etiam CORNELII IANSENII errorem notamus, qui apparitionem 500. fratribus factam demum post ascensionem locauit, cui reclamat ordo a Paulo obseruatus, qui mediam constituit inter apparitiones Petro et τοις δωδεκα et inter apparitiones Iacobo et Apostolis omnibus factas. vide GERHARDI *Harm. Res. pag. 414.* et RVSII *Harm. Euang. T. 3. Vol. 2. p. 1576.*

lista descripta: quanquam vero Paulus non addat, quo loco euenerit, vix tamen dubium de Galilaea prouincia superesse potest, quum maxima ibi fuerit credentium (hi enim sunt fratres) multitudo, nec aptiorem certe locum cogitare licet, vbi Dominus ab omnibus πεντακοσιοις aeque conspici et audiri potuerit, praeter montem. Eandem igitur hanc 500 fratribus exhibitam cum illa vndecim apostolis in monte Galilaeae facta apparitionem esse probo. Scilicet aut illa, de qua Paulus agit, in Historia Euangelica simul relata est, aut silentio omissa, silentio omissam esse ab Euangelistis, qui ceteras apparitiones, quarum quaedam singulis tantum personis factae sunt, tam curate annotarunt, non concipio, siquidem omnium *illustrissima* fuit, et prae reliquis quam maxime facit ad βεβαιωσιν fidei Christianae, iners quippe prorsus esset, qui quingentos αυτοπτας reiiceret; relatam ergo in monumentis Euangelicis esse recte auguramur; At vero si euoluimus monumenta ista, deprehendimus, nulli apparitioni ab vllo sacrorum scriptorum traditae conuenire, cui 500 fratres interfuerint, nisi isti, quam Matthaeus in Galilaea euenisse testatur cap. XXVIII, 16. Roborat hanc illationem promissum Christi de publica et solenni apparitione in Galilaea futura, quod quum nullibi pluries habeatur quam apud Matthaeum, qui ter idem repetit, nos dubitare non sinit eundem Matthaeum etiam complementum promissi, scilicet apparitionem ipsam, qua, vt monui, solennior non occurrit praeter eam, quae dictis fratribus εφαπαξ facta est, consignasse. Quare nihil certius, quam quod cum vndecim Apostolis in Galilaeam abeuntibus credentium vndequaque multitudo confluxerit. Roborat etiam repetitio inaugurationis Apostolicae, quam Matthaeus in hac ipsa apparitione factam esse tradit v. 20. Conueniens quippe erat, vt qui olim coram populo apostoli electi erant Marc. III, 13. Luc. VI, 13. nunc cum Dominus gloriam suam ingressurus esset, denuo palam in munere maioris conciliandae auctoritatis gratia confirmarentur, Accedit ratio, quam Paulus in apparitionibus a rediuiuo Sospitatore factis sibi inuicem subordinandis subducit. δ) Ita vero ordinem

δ) Rectissime monuit Doctiss. IO. MARCKIVS in *Hist. Exaltationis Christi* ex quater repetita ab Apostolo voce ειτα colligendam esse rationem temporis a Paulo in iis, quae tradidit, habitam.

dinem constituit: incipit a visione Petri apparitiones mulieribus factas praetermittendo, nequis forte ad credendum tardior exceptionem credulitatis muliebris temere excipiat. Pergit ad τες δωδεκα de quibus Ioh. XX. et XXI. triplicem, quae ibi exponitur, apparitionem, vt videtur, in vnam contrahendo. ε) Posthaec de solenni illa, quae 500. fratribus euenit, disserit, cui peculiarem Iacobo et vltimam Apostolis omnibus in ipsa ascensione factam subiungit. Ex quibus attente consideratis patet, tertiam ante vltimam apparitionem, quae dictis fratribus accidit, nec priorem esse posse επιφανειαν, de qua Matthaeus agit, inde colligo, quia omnes, quas reliqui Euangelistae narrant, apparitiones praeter vltimam ipso ascensionis die factam intra primum octiduum post Christi in vitam reditum euenerunt, quod cum integrum feriis Paschalibus destinatum esset, nec ego cum Harduino in hoc consentiens credo a discipulis itinere suo in Galilaeam abruptum esse. Excipitur quidem etiam apparitio ad mare Tiberiadis post octiduum illud facta, sed ea huc plane non spectat, siquidem discipuli, qui ibi fuerunt, nominibus exprimuntur Ioh. XXI, 2. ceteris quatuor adeoque etiam 500. fratribus absentibus. Ergo, vt vela tandem contraham, aut eadem erit apparitio, quae teste Paulo fratribus quingentis euenit, cum illa, quam Matthaeus in monte quodam Galilaeae vndecim apostolis exhibitam esse perhibet, id quod volo, aut prorsus diuersa erit, et quod consequens est, ab omnibus euangelistis, cum in aliam non conueniat, praetermissa, quod tamen vtpote dictu incredibile doctissimi omnes, quos euolui, interpretes negant. ζ) Sed exci-

ε) Ad numerum δωδεκα, quum vndecim tantum fuerint, Iudas enim abierat εις τον τοπον τον ιδιον, monet GVRTLERVS in *Dissert. de Gloria Christi*, Matthiam, qui postea forte delectus est, his congregationibus interfuisse, et Dominum rediuiuum vidisse, quia post ascensionem cum Apostolis egerit, antequam eorum collega esset; sed quis non animaduertit, idem hoc etiam de aliis, qui cum Apostolis fuerunt, dici posse. Paulus igitur, vbi Discipulos Christi τες δωδεκα nominat, non ad totidem personas respexisse, sed collegium Apostolicum duodecim virorum nomine ex prima sua origine communiter appellatum ita insigniuisse, dicendus est; vide WOLFFII *Curas Philol.* et *Crit.* in I. Epist. ad Corinth. *p. 527.*

ζ) IO. MARCKIVS in *Hist. Exalt. Christi*, IO. REINH. RVSIVS in *Harm. Euangel.* IO. GERHARDVS in *Harm. Resurr.* ABRAHAMVS CALOVIVS in *Bibliis Illustratis*, etc.

excipies, cur Matthaeus si plures tanto quidem numero conuenerunt in Galilaea, vndecim tantum apostolos nominauerit? Fateor, de nihilo non esse exceptionem: interim non desunt, quae responderi queant. Respondeat pro me B. GERHARDVS: η) *Ideo Matthaeus vndecim Apostolorum nominatim meminit, quia illi gregis huius dominici pastores et ductores erant, illis nominatim Christus praedixerat, quo tempore et quo loco sit appariturus, illi ex mandato Christi reliquis discipulis et fratribus tempus et locum illius manifestationis indicauerant, ad illos praecipue spectabant, quae Christus in hac manifestatione loquebatur.* Addat summe Venerabilis RVSIVS: ϑ) *ideo non fecit aliorum mentionem quia hi ex Iudaea in Galilaeam sunt profecti. Erant autem longe plures Christi asseclae in Galilaea quam in Iudaea, et in illis erant quidam, qui dubitabant.*

§. XVI.

Restat vltimum quod adhuc excutiendum est argumentum, quippe geographicum. Asserit HARDVINVS monti Oliuifero tria esse culmina α), medium ex quo in coelos sublatus esse Saluator creditur, alterum meridiem versus, cui nomen הר משחית, quia Salomon idola Moloch, Camos et Astharoth ibi exstruxerit, tertium ad septentrionem, quod nomine Galilaeae insignitum esse contendit. Rationem denominandi statim subiicit, quandoquidem Galilaei hoc culmen possederint, vt hospitio ibi fruerentur, quum in vrbem ingredi non liceret. Data igitur opera Galilaeos elegisse montem, qui sit κατ᾽ εναντι τȣ̃ ἱερȣ̃ Marc. XVII, 3. magnoque id solatio ipsis cessisse, quod inter preces

η) *loc. cit. pag.* 417.

ϑ) *loc. cit. Vol.* 3. *pag.* 1579.

α) QVARESMIVS *L. IV. p.* 293. et LVDOLPHVS in *Vita Christi P.* 2. *c.* 82. affirmant in veteri quadam versione Latina Act. I, 12. pro eo, quod nunc legitur, a monte, qui vocatur oliueti, lectum esse a monte trium luminum, idemque nomen olim non infrequens fuisse. Rationem nominis optime suppeditasse videtur Cl. M. PETER GIEBELHAVSEN in Dissert. *de monte oliuarum*, Lips. 1704. Mons oliueti, inquit, mane ac vesperi solis radiis, per noctem totam a templo lucernis igneque in altari holocaustorum perpetuo lucente illuminatus est. Hinc a tribus montis culminibus radios lucis remittentibus montem trium luminum dictum esse, existimamus.

preces ſuas templum ex hoc culmine totum conſpicere poſſent, cumque tantum vallis Ioſaphat et torrens Cedron montem ab vrbe exigua diſtantia ſeparauerint, Chriſtum more ſatis conſueto, vtpote Galilaeum in hortum quendam huius regionis ſe ad fundendas preces contuliſſe. In conſenſum vocat *Harduinus* Epiſcopum *Soarium*, qui ipſe terram ſanctam et ſingula eius loca diligenter luſtrauerit, tertiumque cacumen montis Oliuiferi in hodiernum diem montem Galilaeae audire aſſeruerit. Quid quod? in eo vno ore et mente omnes, qui de locis ſacris ſcripſerint αυτοπ]λαι, conuenire pronunciat. Velim, vt Vir Doctiſſimus quosdam nominaſſet; etenim quos ego euoluere potui, et antiquiores et recentiores, illi aut prorſus de Galilaea hac ſilent aut referunt tantum, non aſſerunt, aut contrarium contendunt. Silent *Ligtfootus*, qui in varia montis Oliuiferi nomina diligentiſſime inquirit β), *Breitenbach* qui cum Iohanne Comite Solmenſi anno 1483. in plagas orientales abiit et redux factus, quae vidit, deſcripſit, *Felix Fabri*, qui eodem anno in Orientem profectus ſingula ad minutias vsque adnotauit, *Bartholomaeus de Saligniaco* Apoſtolicae ſedis Protonotarius et Eques auratus qui anno 1521. Palaeſtinam permigrauit et libris X. quae notauit, complexus eſt. Alios, quos magno numero citauit D. SAM. ANDREAE in Diſſertatione citata, praetereo. Alii referunt equidem, quos inter *Quaresmius*, *Rudolphus*, Paſtor Suchenſis, *Dapper* et recentior *P. Myller* et *Henr. Myricke*, ſed in ſubnexa epicriſi admodum differunt, nam alii iudicium ſuum ſuſpendunt, relata tantum referendo cum *Zeilero* Epiſt. 63. Alii cum *Harduino* conſentiunt, alii ab eo diſſentiunt. Quicquid ſit, Vir Doctus non ex recentioribus, ſed antiquioribus Topographis argumenta petere debuiſſet et teſtimonia. Etenim ex Ioſepho, Philone, Rabbinis aut Patribus probandum erat, olim aetate Chriſti certum montis culmen ita dictum fuiſſe. Prorſus enim non videtur eſſe conſequens: mons aetate ſequiori ita dictus eſt, ergo etiam olim idem tenuit nomen. Sed vidit Presbyter antiquitatem a ſuis partibus non ſtare, ergo prouocauit tantum ad recentiores, quorum equidem fidem temere non ſolicita-

β) in *Chorographia* Euangelio Matthaei praemiſſa *Vol. 2. Edit. antiquae p. 199. ſſ.*

licitabimus, ſed concedamus cacumen montis Oliuiferi dici Galilaeam. At vero inquirentes in originem iſtius nominis miramur virum Doctiſſimum adeo a vero aberrare potuiſſe et ſibi ipſi contradicere. A vero aberrat, dum ab hoſpitio Galilaeorum, quibus non licuerit vrbem ingredi, montem nominatum coniicit. Nullo prorſus fundamento nititur hoc aſſertum. Equidem non nego Galilaeos Iudaeis ob diuerſitatem morum exoſos fuiſſe et contemtui habitos. Vnicum ſufficiat Nathanaelis effatum Ioh. I, 47. εκ Ναζαρετ δυναται τι αγαθον ειναι. Non vacat nunc in cauſas contemtus et odii inquirere. Multa finguntur ſane ridicula a Talmudiſtis, fabularum conditoribus. Non vltima, ſi non prima, videtur cauſa, quod Galilaei accolis ethnicis immixti mores cum ſermone confuderant, γ) imo ſtupidi prae aliis et agreſtes homines cenſebantur, vnde etiam ex Galilaea prophetam oriri pernegabant Iudaei Ioh. VII, 52. δ) Eo vsque tamen proceſſiſſe diuerſitatem morum, vt a Iudaeis in concelebrando feſto Paſchali diſceſſerint, cum Harduino ε) vix aſſeruerim: quanquam enim ingenioſa nonnullis viſa ſit hypotheſis, falſam tamen eſſe euincit praeter mandatum diuinum, quo omnes Iudaei, vt vno eodemque die Paſcha celebrarent tenebantur, ſilentium Scriptorum ſacrorum, quorum aſſerta non tantum non pro Harduino faciunt, ſed et exacte aduerſantur. Clariſſima ſunt loca, quae Galilaeos cum Iudaeis eadem ſolemnia eodem concelebraſſe tempore teſtantur Luc. II, 41. 44. XIII, 1. Ioh. IV, 45. Ex quibus ſimul apparet, quid de hypotheſi Viri Docti iudicandum aſſerentis, Galilaeis non licuiſſe in vrbem venire,

γ) vide LIGTFOOTI Opera *Vol. 1. pag. m. 475.* ADOLPHI LAMPII *Comment. ad Euang. Ioh. P. I. p. 471.* B. D. BVDDEI Diſſert. *de Galilaea Sect. I. §. 14.*

δ) Scripſit olim Celeberrimus HERMANNVS HARDTIVS programma, quod inſcripſit: *Galilaei Elias, Eliſa, Ionas, Amos, Hoſeas, Nahum ex Hiſtoria et Geographia veteri ſuae patriae reſtituti,* Helmſtadii 1719.

ε) in *operibus ſelectis p 62.* nodum, qui circa vltimum Chriſti paſcha occurrit ita ſoluit: Galilaeos fingit die decimo tertio Menſis Niſan, Iudaeos vero die decimo quarto Paſcha celebraſſe. Sed vide, quae pro ſoluendo iſto quidem nodo difficillimo rectius et doctius monuit Magnificus noſter Praeſul D. SAL. DEYLINGIVS in *Vol. 1. Obſeru. Sacr. Obſ. LII.* et in Diſſertatione peculiari *de Eucbariſtiae Origine ex ritu et formula Iudaeorum Paſchali non repetenda,* Lipſiae 1734.

nire, eaque de caussa in monte diuertisse. Primo enim non perspicio cur Galilaei soli ex vrbe fuerint exclusi, cum omnibus Iudaeis non tantum concessum, sed et diuinitus iussum fuerit, vt singulis annis ter conuenirent לפני יהוה. Proinde aedes ciuium *Hierosolymitanorum* omnibus patebant peregre ad festa concelebranda aduenientibus; quod si obserues, facile et recte explicabis loca Matth. XXVI, 17. Marc. XIV, 12. Luc. XXII, 7. 8. Atque adeo Galilaei non opus habebant, vt in monte haererent, cum quaeuis in vrbe domus gratis absque censu cuiuis patuerit. ζ) Obiicit quis forte caedem Galilaeorum a Pilato peractam, sed haec ipsa strages comprobat Galilaeos in templo fuisse, extra quod nefas erat sacrificare, quemadmodum etiam lege diuina prohibitum erat alteri arae, praeter altare holocaustorum, immolare. At si fuerunt in templo, fuerunt etiam in vrbe. Noua fabula est, quam Harduinus struit, seorsim in templo Galilaeos fecisse, sed vide quae huic opposuit Clar. AVG. THEODORVS HOFFKVNZ. η) Adde his loca Ioh. IV, 45. Ioh. XII, 20. Luc. II, 41. Denique Christus ipse et Apostoli, Galilaei, fuerunt saepius in vrbe, saepius in templo. In templo Saluator optimus docuit publice καθ' ἡμέραν quoties in vrbe esset Luc. XIX, 47. Matth. XXI, 12. Marc. XII, 11. Ioh. VII, 14. VIII, 2. Vnde etiam intrepide prouocat coram Synedrio magno ad doctrinam publice in

ζ) videatur *Babylon. Ioma fol. XII. 1.* et *Megillah fol. XXVI. 1.* adde LIGTFOOTVM *Vol. 2. Opp. p. m. 185.* CVNAEVM *de Republica Hebraeorum L. I. c. 7.* LEYDECKERVM *Vol. 1. p. 543.* et LVNDIVM *in Jüdischen Heiligthümern L. V. c. 9. p. m. 969.*

η) in Dissertatione *de ἀνθρωποθυσίᾳ Pilati*, Lipf. 1721. Pauca his addam de caede Galilaeorum, quos non a *Io. Galilaeo* f. *Gaulonita*, cuius memoria extat Act. V, 37. sed a patria dictos esse facile patet. Praeter culpam tamen cum Cl. HOFFKVNZIO, cui accedere videtur *Summe Ven.* WOLFFIVS in *Curis Phil.* trucidatos esse vix dixerim. Constat enim Galilaeos prae ceteris, teste IOSEPHO, bellicosos et rebelles fuisse. Vero igitur neutiquam dissimile quosdam de vindicanda libertate conspirasse foedere inito, et vt res eo felicius cederet, sacrificia obtulisse; cui sacrificio Iudaeos non adstitisse, ex eo patet, quia alias paria cum Galilaeis fata subiissent, vbi Pilatus praeses rescifcens, quae Galilaei machinabantur, sacrificantes adhuc per milites suos in templo oppressit. conf. CHEMNITII *Harm.* ad Luc. XIII. et RVSII *Harm. Euang. Tom. 2. p. 634.*

in templo propoſitam Ioh. XVIII, 20. Ter paſcha celebrauit in templo Ioh. II, 13, 14. V, 1, 14. VI, 4. ibi etiam feſtum tabernaculorum celebrauit Ioh. VII, 2. 14. Ter eiecit ex templo mercatores Ioh. II, 13. Matth. XXI, 12. coll. cum Luc. XIX. Marc. XI, 15. Diſputauit in templo cum Iudaeis Ioh. VIII. et X. octies ibi vae dixit Phariſaeis Matth. XXI. Caeco viſum in vrbe reddidit Ioh. IX. Apoſtoli poſt aſcenſionem Chriſti quotidie degebant in templo docentes Act. III, 1. V, 21. 42. Sed quis vnquam Chriſtum aut Apoſtolos a templo aut vrbe arcuit? Quid Phariſaeis, Sadducaeis et Sacerdotibus infenſiſſimis Chriſti hoſtibus optatius eſſe potuiſſet, quid fortius vrſiſſent, ſi Galilaeis quidem aditus in vrbem et templum prohibitus fuiſſet? nonne quibus argumentum ſupplicio dignum deerat, violatum a Chriſto interdictum ſubminiſtraſſet? Tandem ex *Harduino* quaero, vnde mulieres, quae Chriſtum ex Galilaea ſecutae erant, exierint ad ſepulchrum properantes ex monte an ex vrbe? quorſum reduces tetenderint in montem an vrbem? Fabulae igitur ſunt, quas Iudaeus credat Apella, quando *Harduinus* Galilaeos in monte oliuifero facie ad templum oppoſitum conuerſa precatos eſſe fingit; forte etiam ſacrificia fecerunt in monte aut prorſus alieni ab illis fuerunt. Ex quibus omnibus euenit, vt Vir Doctus ſibi ipſe contradiceret. Nam ſi euoluamus eius opera ſelecta Galilaeos in *vrbem et templum* veniſſe diſertis verbis teſtatur, id quod tamen nunc negatum iuit. Nec minus a vero aberrat, vbi ſoſpitatorem noſtrum more ſolito in hortum Galilaeae montanae ad precandum exiiſſe exiſtimat, quum ex inſpectis monumentis Euangelicis abunde conſtet illum raro in vrbe, plerumque Bethaniae, ſaepius in praedio Gethſemane pernoctaſſe; atqui nec Gethſemane nec Bethania in Galilaea montana ſ. cacumine tertio montis, quod nunc Galilaea dicitur nonnullis, ſitae erant. Etenim ſi repetamus antiquitates, cognoſcimus exeunti ex vrbe in montem per medios vtrinque hortos praeſtantiſſimos teſte Benedicto Aria Montano ad Matth. XXVI. quos Ioſephus Paradiſos voluptatis vocauit, iter fuiſſe. Ad radices montis ex altera parte Gethſemane ϑ) ex

E 3 altera

ϑ) BENED. ARIAS MONTANVS cum QVARESMIO per hortum octauum vocem

altera parte Bethphage, de qua quidem dubitauit LIGTFOOTVS ι) ex testimoniis Talmudicis asserens ipsam vrbis partem Bethphagen dictam esse, sed situs *Bethphagae* in sacro Codice assignatus clare probat extra moenia vrbis villulam ὁμωνυμον fuisse; accedit auctoritas *Origenis*, *Eusebii* et *Hieronymi* contestantium suo adhuc aeuo villulam restitisse ad montem, quae Bethphage dicta sit. Vlterius circiter 15. stadia per tractum montium adeoque etiam per tria ista culmina, quorum vni Galilaeae nomen postea competiit, tendenti occurrebat Bethania villa, in qua Maria et Martha habitarunt Ioh. XI, 1. Sed redeamus Bethania ad cacumen nostrum, cumque originem nominis, quam Harduinus ex hospitio Galilaeorum deduxit, nullo prorsus nec scripturae nec Antiquitatis testimonio niti videamus, aliam scrutemur. Certissime mihi persuasum est, demum post Saluatoris αναληψιν in coelos istam regionem Galilaeam dictam esse, siue a Iudaeis, quibus Apostoli et Christus ipse per contemtum Galilaei audiebant, siue a Christianis, qui sentiente ita *Dappero*, quae nostro quidem iudicio similior vero sententia est κ), regionem, ex qua Sospitator euectus est peculiari nomine ad perennem eius memoriam notatam cupiebant, ratione denominandi a voce Angeli sumta Ανδρες γαλιλαιοι Act. I, 11. Confirmat mentem partim nomen συνωνυμον, *Viri Galilaei*, quod omnes, qui cacumen illud Galilaeam vocari, eidem competere asserunt, testes voco *Quaresmium*, *Rudolphum*, *Dapperum*, *Myllerum:* partim simile nomen loco vbi Christus rediuiuus mulieribus apparuisse fertur, datum, quem Quaresmius λ) Marianum appellari pronuntiat. Equidem bene memini, Quaresmium huic nostrae sententiae contradicere, quandoquidem cacumen illud paulo remotius distet a loco, ex quo Christus sublatus est, quam distantiam ad dimidium milliare Germanicum Myllerus extendit; sed sic vltra ipsam Bethaniam collocandum foret illud cacumen, quod tamen nec *Quaresmius*

vocem explicat, sed rectius obtinet communis sententia, qua nomen a גת שמן s. torculari olei deducitur.

ι) in *Centuria Geographica Euangelio Matthaei praemissa Vol. 2. p. m. 199.*

κ) in *Palaestina S. p. 422.*

λ) *Tomo 2, Libr. IV. cap. XIII.*

reſinius nec *Myllerus* aſſerunt. Addo, τȣ illud in monte, ex quo Chriſtus euectus eſt, adeo accurate definiri neutiquam poſſe, cum ſacrae ſileant literae, vt diſtantiam eius a Galilaea culmine vrgere queamus. Inepta ſunt, et coacta, quae Presbyter ad verba Matthaei *εις την Γαλιλαιαν εις το ορος* contra Barradium excepit. Synonyma enim, vt Galilaea, quaenam ſit, per *το ορος* additum explicetur, haec eſſe, ipſa repetita praepoſitio *εις* negat: non enim ita ſe habet nexus *εις την Γαλιλαιαν το ορος*, ſed *εις την Γαλιλαιαν εις το ορος, ȣ εταξατο αυτοις ὁ Ιησȣς*. Quid manifeſtius deſcribi a Matthaeo locum, quo abierunt Apoſtoli, 1. in genere *εις την Γαλιλαιαν* 2. in ſpecie *εις το ορος* in montem quendam illius prouinciae, quem Chriſtus conſtituerat. Atque adeo rectiſſime Praeſtantiſſimus *Relandus* μ) omnem hanc coniecturam de Galilaea monte ineptam appellauit.

μ) in *Palaeſtina S. L. I. c. 52. p. 337.*

DISSER-

DISSERTATIO ALTERA.

§. I.

NVnc ad ipſam tandem Harmoniam Euangelicam, quam IOH. HARDVINVS calci Diſſertationis ſuae addidit, deueniendum eſt. Tangit autem illa priores tantum duas apparitiones, vt videntur, a Domino diſcipulis exhibitas; ita enim inquit: *ainſi la Concorde des Evangiles ſur les deux premieres apparitions du Sauveur aux Apotres ſe doit faire, ce me ſemble en cet ordre:*

Pour la premiere, qui fut le jour meme de la Reſurrection
Matth. XXVIII, 16, 17.
Ioh. XX, 19. *quoique les Apotres ſur le Mont Galileen fuſſent ſur leur terrein propre et priuilegie, ils avoient cependant tout a craindre de la ferocité de Juifs, c'eſt pourquoi ils ſe cantonnerent, et fermerent les portes comme reſolus de ſe defendre.*
Ioh. XX, 20.
Luc. XXIV, 36.
- - - 43. additur ex verſione: *en ayant mangé en leur preſence, il prit ce, qui reſtoit, et le leur donna.*
Marci XVI, 14.
Matth. XXVIII, 18, 19, 20.
Marc. XVI, 15, 16, 17, 18.
Ioh. XX, 21, 22, 23.

Tout cela fut dit et fut fait de la premiere fois, que Ieſus Chriſt reſuſcité ſe fit voir a ſes Apotres ſur le Mont de la Galilee, ainſi qu'il leur avoit promis.

Pour la ſeconde Apparition, qui fut huit jours apres la premiere, S. Iean Seul en parla au Chapitre XX. verſet 24.

§. II.

Quis eſt, qui non videat *Harduinum* non concordem ſed diſcordem Harmoniam ſcripſiſſe. Duas diuerſiſſimas apparitiones, quae Apoſtolis longo temporis interuallo contigerunt, in vnam pro autoritate cogit; cumque res minus feliciter ceſſiſſet, ſi in ſubordinandis verbis Euangeliſtarum nihil immutaſſet, nunc addit nunc ſubtrahit prout ipſi videtur. Iuuabit vnumquemque

que locum ab *Harduino* allegatum breuiter ſtrictimque perluſtrare.

§. III.

Primas tenet locus Matth. XXVIII, 16. 17. Hunc gratis huc referri cum nulla ratione de prima manifeſtatione Saluatoris agat ad §. X. Diſſertationis prioris euicimus, adeoque nunc eadem repetere nolumus.

Secundas tenent aſſerta Ioh. XX, 19. quae, quod nemo negat de apparitione veſpera primi diei facta agunt, Ioannes enim perſpicue docet: ουσης οψιας τη ἡμερα τη μια (numerum cardinalem pro ordinali poni vix monitu neceſſe eſt) των σαββατων, at vero verſus 19. non erat praeferendus Lucae XXIV, 36. Haec enim quae Lucas refert: ταυτα δε αυτων λαλουντων αυτος ὁ Ιησους εστη εν μεσω αυτων και λεγει αυτοις· ειρηνη, quoad rem parallela ſunt Ioh. XX, 19. quemadmodum v. 20. Ioh. reſpondet v. 37. Lucae. Nimirum a Iohanne peculiaris notatur circumſtantia de foribus clauſis δια τον φοβον των Ιουδαιων, quae a Luca non memoratur; vbi egregiam Harduinus notam addidit, fingendo Apoſtolos ingruente nocte in monte congregatos nec tamen ſub dio, ſed in aedibns, quas ibi exſtructas fuiſſe iterum fingit, perſtitiſſe et reduces Emmao ſuſcepiſſe, qua in re quantopere ſibi non tantum ſed et ipſi Lucae, qui diſerte teſtatur reduces in vrbem non in montem diuertiſſe apud apoſtolos contradicat, antea explicui.

Dein male verbis Luc. XXIV, 43. addit *en ayant mangé en leur preſence il prit ce, qui reſtoit, et le leur donna.* Nihil de vltimo hoc membro in textu authentico cernitur: και λαβων ſc. βρωσιμον (cibum, quem vt certiores redderet diſcipulos non ſpectrum, ſed Dominum rediuiuum eſſe, qui coram eſſet, petierat) ενωπιον αυτων εφαγεν ſecundum oeconomiam illam, qua deinceps per 40 dies adhuc cum apoſtolis comedit Act. X, 41. coll. cum Act. I, 3. Interim ex illis ipſis Petri verbis Act. X, 41. enata forte eſt Gloſſa Vulgati interpretis: *et ſumens reliquias dedit eis. Grotius* equidem in gratiam Vulgatae Verſionis Veteres et Arabem addidiſſe aſſerit: και λαβων τα περισσευματα εδωκεν αυτοις, ſed profecto obſtat codicum conſtans lectio, quae gloſſis temere ſolicitatur.

F Bene

Bene tamen, ne quid dissimulemus, fecit HARDVINVS, quod apparitionem, de qua Marcus agit c. XVI, 14. non distinxerit a vespertina illa primi diei apparitione, de qua Lucas et Iohannes differunt. Noui quidem multum adhuc inter se discordare interpretes, dum multi cum AVGVSTINO, quos inter BARONIVM et KOEPPENIVM nominasse sat erit, pro vltima, quae ipso ascensionis die contigit, eam reputant, prouocantes ad vocem ὑϛερον, quam per postremo vertunt, ad numerum vndecim apostolorum, quibus Christus dicitur apparuisse, quum in illa, quam Lucas et Ioannes describunt, decem tantum propter absentiam Thomae adfuerint, ad mandatum de praedicando euangelio per vniuersum orbem terrarum, et inprimis ad v. 19. ὁμεν ȣν Κυριος μετα το λαλησαι αυτοις ανεληφθη εις τον ȣρανον. Sed vereor, vt argumenta ista probent, quod probare debent. Non vrgebo, accubitum discipulorum ad Mensam Marc. XVI, 14. ανακεισθαι horis vespertinis plerumque consuetum; α) quis probabit, et quis credet, apostolos per integros quadraginta dies, quibus cum eis

α) Ανακεισθαι, teste HEVPELIO in *Notis Grammatico-Historico-Philologicis ad Euangelium Marci* est proprie mensae cibi capiendi causa accumbere, cumque coenae semper prolixiores essent reliquis epulis, accubitus illis peculiaris prorsus erat, ita vt ανακεισθαι et in Scriptura S. et apud scriptores profanos vt plurimum coenare denotet, vnico forte loco Marc. V, 40. excepto, vbi per materiam substratam de puella mortua in lecto reposita adhibetur. Quanquam cum LEYDECKERO *L. XII. de Republica Ebraeorum Cap. VII. p. 678.* et BRVNINGIO in *Antiquitatibus Graecis* prandia apud Iudaeos negare nolim, quorum vterque prandia Iudaeis perinde ac Graecis et Romanis, quibus illa erant imbecillium et luxuriantium, male audiisse asserit, ientaculo autem, quod αριϛον ATHENAEO vocatur, hora nostra nona post sacrificium matutinum vsos esse, quo assumto, quae domi agenda erant, curasse vsque ad horam vespertinam sextam post sacrificium vespertinum, et tum denique coenasse. Argumentum ex Talmude Babylon. eiusdemque tractatu אבות deductum vix sufficiet, quemadmodum etiam, quae contra monuit Cl. STVCKIVS in *Antiquitatibus conuiualibus*, non singula rite procedunt *Cap. XI. p. 39.* Videtur tamen praeter locum clarissimum 2. Sam. III, 35. sufficere duplex IOSEPHI testimonium, primum *de epulis Sabbathicis* hora quinta, quae nobis est vndecima, consuetis, alterum de Essaeis quibusdam, qui etsi prae ceteris frugalitati studuerint, a laboribus tamen quinta hora conuenerunt ad prandium, et vesperi ad coenam, de aliis quibusdam Essaeis PHILO testis est, quod ante occasum solis non comederint.

eis conuerſatus Saluator, incredulos manſiſſe tot apparitionibus adeo conuictos, vt Thomas ipſe exclamauerit, ὁ Κυριος μου και ὁ Θεος μου, Ioh. XX, 28, 29? Nec parallela eſt hiſtoria Marc. XVI, 14. hiſtoriae Matth. XXVIII, 16. apparitio enim a Matthaeo relata non eſt vltima, ſiquidem non in Galilaea ſed in Iudaea Chriſtus euectus eſt in coelos, accedit etiam hoc, quod Matthaeus Dominum in monte Galilaeae vndecim apoſtolis apparuiſſe aſſerat, Marcus vero ανακειμενοις αυτοις id quod in monte Galilaeae factum eſſe quis dixerit? Igitur το ὑϛερον Marci v. 14. notante ERASMO SCHMIDIO ſatis commode reddi debet, *deinde, poſtea*, quo in ſenſu occurrit Matth. IV, 2. XXI, 32. Ioh. XIII, 36. imo etiam per *poſtremo* verti poterit, ſi dixeris, Marcum non ad ordinem manifeſtationum in genere, ſed ad ordinem apparitionum, quae ipſo reſurrectionis die factae ſunt, reſpexiſſe, quod ex antecedentibus apparere videtur: etenim v. 9. Marcus aſſerit Dominum poſtea quam mane ſurrexerat, apparuiſſe πρωτον Mariae, μετα ταυτα duobus Emmaunticis, ὑϛερον poſtremo ſc. vltima primi apparitio facta eſt vndecim accumbentibus. Alterum contea ſentientium argumentum ab vndecim apoſtolis, qui decem tantum propter Thomae abſentiam fuerint, ſi eadem haec ſit apparitio cum Ioh. XX, 19. petitum refutatur exemplo Lucae qui cap. XXIV, 33. eadem phraſi pronunciat duos illos Emmao reduces reperiſſe τους ἑνδεκα congregatos, quum tamen propter eiusdem Thomae abſentiam decem fuerint. Ergo ex vſu Scripturae etiam h. l. maxima pars retinet nomen totius.

Quae Marcus v. 15. 16. 17. 18. et Matthaeus v. 18. 19. 20. enarrant et ab Harduino allata legimus, ea huc non ſpectant, quare ex Harmonia apparitionum primi diei excludenda ſunt; pertinent enim ad manifeſtationem antepenultimam in monte Galilaeae prouinciae factam, de Matthaeo quidem nullum eſt dubium, ſed de Marco adhuc dubitatur. Plerique tamen recentiorum totam Marci pericopam, quae Feſto Aſcenſionis Chriſti in templis noſtris explicari ſolet, in tres totidem diſtinctas apparitiones diuidunt, verſum enim 14. ad veſpertinam apparitionem diei primi, verſ. 15--18. ad apparitionem in Galilaea, de qua Matthaeus agit, v. 19 et 20 ad vltimam ipſo αναληψεως die factam referunt; Sic CALOVIVS, BVGENHAGEN, GERHARDVS,

SCHMIDII, SANDHAGEN, VSSERIVS, RVSIVS magnorum nominum Viri, ſtatuunt. Certe verba Marci και ειπεν αυτοις v. 15. non adeo neceſſario cohaerent cum immediate praecedentibus, vt ad vnam atque eandem apparitionem referenda ſint, αυτοψια quippe docet Marco propoſitum neutiquam fuiſſe, vt ſeriem omnium manifeſtationum, ſed breuem potius ſummam eorum, quae Chriſtus in variis apparitionibus dixerat, αποτομικως exponeret. Quare omiſſis apparitionibus Thomae et ad mare Tiberiadis factis v. 15. ad eam tranſiiſſe, quae in Galilaea contigit, recte concluditur ex parallelismo v. 15. et 16. cum Matth. XXVIII, 19. et 20. Atque adeo epitomen v. 19. obſeruamus ὁ μεν Κυριος μετα το λαλησαι αυτοις ανεληφθη, non quod ſtatim poſteaquam mandatum de praedicando euangelio diſcipulis dederat ſublatus in coelos ſit, β) aut ipſo aſcenſionis die haec dixerit, ſed quia multo plura inter promulgationem iſtius mandati et aſcen-

β) Ita quidem ſtatuerunt GVILIELMVS WHISTONVS in *Commentatione upon the ſeveral Aſcenſions of Chriſt*, quae addita eſt libro *Eſſay on the Apocalypſe* 1706. et ROBERTVS FLEMING Presbyterianus in *Chriſtology or Diſcourſe concerning Chriſt conſidered in himſelff in his Government and in Relation to his ſubjects and their duty to him.* Finxerunt illi Chriſtum ante ſolennem aſcenſionem iteratis vicibus in coelum aſcendiſſe, et primo quidem reſurrectionis die duplici vice 1. horis matutinis, et 2. veſpertinis. Ad matutinam aſcenſionem probandam prouocant ad Ioh. XX, 17. vbi Saluator Mariae Magdalenae prohibuiſſe legitur μη μου απτου, ουπω γαρ αναβεβηκα προς τον πατερα μου. Sed verba ipſa clare docent, Mariam tantum a prolixiori amplexu Hebraeis familiari prohiberi, ne moram inutiliter necteret in perferendo ad diſcipulos nuntio. Reſpondet enim graecum απτεσθαι etiam apud ſeptuaginta interpretes Hebraeorum דבק et אחז quae alibi per προσκολλαν redduntur. Ratio, quam Chriſtus interdicto ſubiicit ουπω γαρ αναβεβηκα ſolatium Mariae triſtitia ob amplexum prohibitum affectae praebet. Satis enim morae prolixioribus cum Soſpitatore ſermonibus fore promittit, quandoquidem nondum aſcenſurus, ſed in terris aliquamdiu commoraturus ſit. Eſt igitur Enallage Praeteriti pro Futuro, quemadmodum in ſequentibus αναβαινω προς τον πατερα μου enallage praeſentis pro paulo poſt futuro occurrit, vide conſentientes WOLFFIVM in *Curis Philologicis*, RVSIVM l. c. GERHARDVM et CALOVIVM. Quod ſi tamen cum Cl. WOCKENIO enallagas omnes dubio et difficili ſucceſſu ex Scripturis eliminare velis, ingenioſa placebit expoſitio BERNHARDI LAMII in *Comment. ad Harm. Euang. L. 5. c.* 40. qui Mariam ex vacuo Chriſti ſepulchro ſuſpicatam eſſe eius aſcenſionem exiſtimat: Conſentiet WOCKENIVS, *retinemus*, inquit, *ſimplicitatem quod Chriſtus tantum noluerit, vt Maria in amplexibus haereret, rata forte, Chriſtum iam adiiſſe ad coelum, et ſe tantum extraor-*

ascensionem dicta et facta esse ex Lucae Euangelio et Actis constat, quae Marcus praeteriit. *B. Gerhardus* proinde rectissime ad omissionem prononimis demonstratiui ταυτα prouocat, etenim Marcus non ait μετα το λαλησαι ταυτα sed indefinite μετα το λαλησαι ea nimirum, quae de βασιλειας θεȣ monenda adhuc restabant Act. I, 2. Sic quoque v. 20. eiusdem cap. XVI. Marci noua επιτομης vestigia deprehendes; quum ex Actis Apostolicis satis constet, apostolos non illico post ascensionem Domini exiisse in orbem terrarum ad praedicandum euangelium sed expectasse secundum mandatum Christi promissa Spiritus S. dona. Perinde vt Lucas cap. XXIV. a versu 45. vsque ad 50. gesta rediuiui Saluatoris breuiter comprehendit et concionum habitarum argumentum summarie recenset, vbi tamen illa μιμεσις obseruanda, qua Lucas Dominum ipsum loquentem sistit, cum v. 45. generaliter verbis suis exposuisset, quae Sospitator peregerat.

Ex his omnibus abunde patet, quam coacte Harduinus Christi rediuiui apparitiones huc illuc pertraxerit, vt hypothesi de apparitione in Galilaea non prouincia sed iugo montis Oliuiferi satisfacere posset.

§. IV.

Ad alteram calculo *Harduini* constitutam apparitionem quae Ioh. XX, 24. traditur, nihil monemus, nisi quae monuimus, Virum doctum in Dissertatione sua sibi ipsi contrarium esse, ibi enim apparitionem quae Ioh. XXI, 14. tertia audit, secundam appellat, quum hic rectius sentire videatur. Illud forte adhuc monendum

 erit,

traordinario modo Mariae iam videndum praebuisse, quod Christus negat, indicans deinde adhuc tempus esse, quo se amplecti possit. vide eius Enallagas ex N. T. graeco textu exterminatas *p. 92.* Ad vespertinam ascensionem probandam prouocant ad Marc. XVI, 19. Verum enim vero ex praemissis liquet temporis nexum inter v. 19. et ea, quae antecedunt neutiquam quaerendum esse, quum potius το μετα το λαλησαι αυτοις ad omnes sermones de regno Dei per quadraginta dies factos sit extendendum, et Lucas longe alia referat a Domino ascensuro dicta Act. I. ac quidem Marcus retulit. Et quid multis opus est, cum Scriptura diserte testetur, Christum εφαπαξ coelum conscendisse, Hebr. IX, 12. Plura dabit Summe Ven. IO. IAC. QVANDT in *Dissert. de gestis Christi quadragesimalibus resurrectionem inter et ascensionem.* Adde Theologi et Philosophi olim apud nos Celeb. B. IO. SCHMIDII peculiarem Dissertationem *de variis Christi in coelum ascensionibus.*

erit, Presbyterum hanc ipſam apparitionem perinde ac priorem in monte factam eſſe aſſerere, aſſerendo errare.

§. V.

Nouam igitur, vt contrarium clarius eluceſcat Harmoniam Apparitionum Chriſti Harmoniae *Harduini* opponamus. Rem ab ouo, vt aiunt, ordiamur:

Sabbathum magnum duplici nomine ſacrum ſiquidem illo anno primus dies paſchatos in ipſum diem Sabbathi inciderat, elapſum erat Luc. XXIII, 56. et XXIV, 1. cum mulieres, quae Chriſtum ex Galilaea ſecutae ante triduum ſepulturae eius interfuerant praeparato vnguento ad monumentum prima aurora exeuntes ſole oriente accederent per Matth. XXVIII, 1. Marc. XVI, 1. Luc. XXIV, 1. Ioh. XX, 1. α) Priusquam adueniunt, Ieſus iam reſurrexe-

α) Quum videam ſcriptores Harmonicos in ordinandis circumſtantiis et definiendo tempore exitus mulierum admodum inter ſe diſcordare periculum prolixius faciam, quid vero propius videatur. Sabbatho, quod inter mortem et reſurrectionem Chriſti interceſſerat peracto, exierunt foeminae, cum illuceſceret dies primus ſubſequentis ſeptimanae. Matthaeus ait: οψε των σαββατων (ſabbatha ſunt feſtiuale ſabbathum in hebdomadarium incidens, inde enim eſt h. l. enallage numeri, οψε autem non veſperam ſtellam notat, vt BARONIVS errauit, ſed in genere tempus veſpertinum, cum genitiuo tamen conſtructum praepoſitionis naturam induit reddendum *poſt*, vel *peracto*, vt recte monuit GROTIVS, cui acceſſit CALOVIVS, et conſentit STOCKIVS in *Claue Linguae S. N. T.* Conſpirat cum Matthaeo, etſi eius Epitomator neutiquam ſit, Marcus tempus ſic definiens διαγενομενȣ τȣ σαββατȣ. Pergit Matthaeus: τη επιφωσκȣση ſc. ἡμερα εις μιαν σαββατων (μια cardinale pro ordinali ponitur, Sabbatha pro integra hebdomade vt Marc. XVI, 9. Luc. XVIII, 12. Sabbatho enim exeunte noua inchoabatur ſeptimana, cuius ſinguli dies Iudaeis a Sabbatho denominabantur, primus ſcilicet אחד בשבת, ſecundus שני בשבת, tertius שלש בשבת et ſic porro vide WOLFFII *Curas Philol. ad h. l. pag.* 418.) Non diſſentiunt ab hac εξηγησει ceteri Euangeliſtae, qui ſummo mane exitum mulierum ad tumulum conſtituunt. Marcus ait ανατειλαντος ἡλιȣ, vbi nota, aoriſtum eſſe indefiniti temporis, tam praeſentis atque futuri quam praeteriti notionem ſuſtinere, monente GLASSIO in *Philol. S. p. m.* 372. Lucas ορθρȣ βαθεως, Ioannes σκοτιας ετι ȣσης. Minime enim hactenus poſſum, niſi grauiores occurrant rationes viris doctis accedere, qui inter tempus exitus mulierum diſtinguunt, aſſerentes primum Mariae Magdalenae et Mariae Matris Iacobi et Iudae ſeorſim veſpera Sabbathi ante noctem ingruentem ad ſpectandum ſepulchrum, ad quod tamen ipſum non perueniſſe ex ſubſequente ignorantia cuſtodum atque lapidis obſignati colligunt, alterum eiusdem Mariae cum ceteris

rexerat Marc. XVI, 9. et motu terrae facto angelus coelo descendens amolitus erat saxum, in quo considens prostratis custodi-

teris foeminis nominatis et non nominatis. At non video necessitatem, quae nos vrgeat, vt ita sentiamus: certe ex assertis Matthaei: οψε των σαββατων colligi nequit, Mariam vespertino tempore Sabbatho ad finem properante exiisse, etenim si οψε aduerbialiter sumatur, vti sane accipi debet, nisi duplicem Sabbatho vesperam tribuere velimus, quam quidem non inficiabor, qnodammodo duplicem dici posse, alteram inchoatam, a qua incepit hora vespertina sexta, alteram imminentem, in quam desiit ab hora post meridiem tertia vsque ad sextam, illud tamen assero vtramque istam vesperam pertinere ad ipsum sabbathum, quo ἡσυχασαν κατα την εντολην Luc. XXIII, 56. Igitur si οψε aduerbialiter accipiatur, nulla discrepantia inter Euangelistas erit, qui λιαν πρωι, ορθρου βαθεως et σκοτιας ετι ουσης exiisse foeminas perhibent. Nec quod alterum est, ex fine exitus, quem Matthaeus pronuntiat, θεωρησαι τον ταφον certe concludi potest, distinguendum esse illum finem adeoque etiam exitum mulierum ab isto, quem Marcus et Lucas referunt προς το αλειψαι αυτον. Visio sepulchri quippe non theoretica tantum sed practica fuit, ινα ελθουσαι αλειψαι αυτον. Non dabitur ratio sufficiens, cur foeminae speculatum tantum exiuerint, quum heri monumentum eiusque situm, in quod et quo modo funus defuncti Saluatoris delatum erat, dispexissent. Nec creditu facile est, quod si sub vesperam exiissent, visis ad tumulum custodibus, proximo mane ausae sint redire, exiisse autem ad lustrandum monumentum, sed eo non peruenisse, facilius dicitur, quam probabitur. Quod vltimum est, ex numero mulierum, in quibus euangelistae variant, praesidium coniecturae peti posse dubito, quanquam enim Matthaeus duas, Marcus tres, Lucas plures nominent, neuter tamen, nec Matthaeus, nec Marcus, exclusiue pronuntiat, vt inde colligere nequeas, plures in isto sodalitio fuisse. Ipse Summe Ven. RVSIVS saepissime monuit notius notissimo esse, quod in recensendis rerum circumstantiis frequenter ita versentur Euangelistae, vt aliam alter omittat, quam alter curate recenseat, atque ita mutuam sibi operam praestent. Profecto si diuersitates circumstantiarum, quae non difficulter conciliari possunt, historiae diuersitatem innuunt, duplex etiam Christi sepultura erit, quandoquidem Lucas solius Iosephi, Iohannes vero etiam Nicodemi meminit. Rem omnem igitur sic concipio. Mulieres, quas inter Maria Magdalena, Maria Iacobi minoris et Iudae Thaddaei mater Alphaei eoque mortuo Cleophae vxor, Iohanna coniux Chusae Procuratoris Herodis, Salome vxor Zebedaei, istae mulieres, quas aliae etiam nominibus non distinctae comitabantur primo mane diluculo profundo surgunt, aromata sumunt, exeunt aedibus et vrbe. Dum ad monumentum non sine timore mentis et titubatione pedum tendunt, tenebrae noctis disperguntur, et aurora praenuntiat aduentum solis. Deliberant inter se de lapide deuoluendo, qui tamen per angelum remotus iam erat, de custodibus appositis et sigillo lapidi impresso nihil constitisse patet, siquidem etiam de his impedimentis remouendis sollicitae

ſtodibus apparebat Matth. XXVIII, 2, 3, 4. Maria Magdalena praecurrens ceteris mulieribus et ſepulchro ſub diluculo appropinquans videt lapidem remotum Ioh. XX, 1. Recurrit illico in vrbem quaeſitum diſcipulos, nec tamen in ſocias incidit, reuerſa Petro et Ioanni nuntiat Dominum ablatum eſſe Ioh. XX, 2. Interea reliquae foeminae ſole orituro ad monumentum veniunt de lapide remouendo ſolicitae, quem tamen remotum vident, intrant et ab angelis duobus de veritate reſurrectionis Chriſti conuincuntur Luc. XXIV, 3. 4. Quae dum fiunt, Petrus monitu Mariae Magdalenae cum Ioanne exit ad ſepulchrum, praecurrit Iohannes, ſequitur Petrus, vterque monumentum intrat, quibus in vrbem reuertentibus Maria prope ſepulchrum amare lacrymatur, lacrymanti duo angeli in tumulo apparent Ioh. XX, 12. imo Dominus ipſe v. 14, 17. Marc. XVI, 9. En primam Saluatoris rediuiui apparitionem factam Mariae Magdalenae. β)

§. VI.

licitae fuiſſent. Dum deliberant Maria Magdalena morae impatiens praecurrit Ioh. XX, 2. videt ſaxum amotum, tumulum ipſum non intrat, vnde nec videt angelos, ſed feſtinanter recurrit aliam ingrediens viam in ſocias, a quibus digreſſa erat, non incidit, nunciat viſum Petro et Iohanni. Interea temporis reliquae mulieres ad tumulum veniunt, quem introeunt rem penitus cogniturae, vident vacuum, exeunt attonitae faciem in terram declinantes Luc. XXIV, 2. dum circa ſepulchrum adhuc morantur neſciae conſilii dubiae mentibus, apparent extra illud, dicuntur enim foeminae v. 9. απο τȣ μνημειȣ receſſiſſe, duo angeli ſtantes, quod perpetuus verbi εφιςαναι vſus, monente Ven. RVSIO infert, ſicubi de ſuppoſitis intelligentibus adhibetur: angelorum diſcurſu audito Luc. XXIV, 5. 6. 7. redeunt in vrbem, v. 9. nunciant viſa et audita diſcipulis et reliquis, ſed fidem non inueniunt. Quae dum fiunt, Maria ex vrbe redux, ſequitur Petrum et Iohannem velocius ad ſepulchrum properantes, quibus reuertentibus ſiſtit ſe ad tumulum plorans, inclinando vultum conſpicit duos albis veſtitos veſtimentis angelos in ſepulchro ſedentes, quae mulierem de cauſa lacrymarum interrogant, inter confabulandum conuertit ſe mulier, videt Ieſum, quem ex voce tandem agnoſcit, et veneratur, etſi prohibeatur, ne in amplexu iſto diutius haereat, et moretur, laetum diſcipulis nuntium ferre. Maria, quae Ieſus praeceperat, fideliter exſequitur, ſed exiguo ſucceſſu. Marc. XVI, 9.

β) Ridicula certe eſt QVARESMII ſententia *Tom. 2. Elucid. Terrae S. Lib. IV. c. 14. p. 72.* primam Chriſti apparitionem Mariae Matri vindicantis. En argumentum! S. S. Patres, ait, docent et Eccleſia tenet, Chriſtum poſt ſuam reſurrectionem glorioſam primo dilectiſſimae matri ſuae apparuiſſe, etſi tanquam euidens

§. VI.

Mulieres a Maria Magdalena derelictae, spe et timore dubiae forte tamen laetissimo Mariae nuncio excitatae iterant exitum ad sepulchrum, introeunt, vident angelum sub specie adolescentis sedentem ἐν δεξιοῖς sc. μερεσι Marc. 16. 5. vberiorem et solatio pleniorem sermonem audiunt, quo audito nondum prorsus confirmatae sed adhuc perterritae Marc. v. 8. Matth v. 8. recurrunt, in isto recursu Dominus ipse apparet, blande compellat, et amplexus admittit v. 9. α) En alteram resuscitati Sospitatoris apparitionem mulieribus factam.

§. VII.

euidens et aliqua probatione non indigens praetermiserint Euangelistae. Nec magis se commendat BARONIVS, qui EPIPHANIVM secutus per Mariam Magdalenam, cui Marcus disertis verbis Dominum πρῶτον apparuisse testatur θεοτοκον intelligit, cum Mariam istam a Maria Deipara, perinde ac a Maria peccatrice et Maria Lazari sorore, (quod contra LIGTFOOTVM noto) diuersam omnino fuisse, et nomen Magdalenae ab oppido Galilaeae Magdala deductum, et fatum singulare, siquidem septem daemonia Christus ex illa eiecerat, clare innuant.

α) Minime confundendum esse hunc amplexum mulierum cum illo Mariae Magdalenae, vt LIGTFOOTVS fecit, et frustra enallagen numeri constituit, probe monuit Summe Ven. RVSIVS in *H. E. l. c. p. 1475.* Ego quidem illud adhuc monendum duxerim, non confundendum esse duplicem harum foeminarum exitum et iteratam angelorum apparitionem, quam ex Matthaeo et Marco petiuimus cum illa, de qua Lucas agit. Vt enim istae ἐπιφανειαι angelorum a se inuicem distinguantur, et quae extat Luc. XXIV, 1. seq. ordine ac tempore praeferatur alteri a Matthaeo et Marco descriptae variae suadent rationes. I. enim Lucas dicit, angelos adstitisse mulieribus extra monumentum, Marcus angelum sedisse intus, Matthaeus de situ angeli nihil refert, refert equidem angelum terrifica forma conspicuum in lapide consedisse, sed ad terrendum custodes, quod autem ab eodem hoc lapide idem angelus cum foeminis collocutus sit, nusquam pronuntiat, varia enim inter v. 4. et 5. apud Matthaeum intercalanda esse e. g. fugam custodum et accessum mulierum, per se patet, nec creditu facile est, timidas mulieres, si angelus in ipso aditu insidens saxo situm istum non mutasset aut disparuisset, monumentum introire ausas fuisse. II. Apud Lucam apparent duo angeli, apud Matthaeum et Marcum tantum vnus. Addo III. oportuisse mulieres bis, non semel tantum accessisse ad sepulchrum, namque Mariae ad tumulum lacrymanti non aderant, si in abitu occupatas fuisse dixeris, rediisse negaueris, Christum illis tum quidem apparuisse dixeris, quo ipso autem Marco, qui Mariae, non mulieribus

§. VII.

Tertia Resuscitati Saluatoris apparitio euenit Petro per 1 Cor. XV, 6. et Luc. XXIV, 34. in qua quidem neganda totus errat Harduinus. α) Etenim frustra negat Petrum Cephae nomine insignitum esse, vt eludat increpationem Petro a Paulo factam vtpote primatui ficto iniuriosam Gal. II, 9. et 11. Loca singula ad quae vt contrarium stabiliat, prouocat 1 Cor. I, 12. 1 Cor. IX, 5. 1 Cor. XV, 5. et praesertim Ioh. I, 42. probant euidentissime, Petrum et Cepham idem nomen idem denotare subiectum, vt contra Presbyterum solidissime euicit *Magnificus noster Praesul* D. SALOMON DEYLINGIVS β). Gratis etiam verba Luc. XXIV, 34. ὁ Κυριος ωφθη σιμωνι non ad Christi personam sed ad eius resurrectionem referenda existimat, eo sensu, vt Petrus dicatur persuasissimus fuisse de Christi resurrectione, quia corpus eius in sepulchro non reperisset. Etsi quidem modus et locus huius apparitionis definitus non sit, primo tamen die contigisse et tertiam esse, saltem ex reditu Emaunticorum discipulorum patet, qui communi voce excipiebantur; ὁτι ηγερθη ὁ Κυριος οντως και ωφθη σιμωνι. Si coniecturae locus superest, videtur Petrus duabus vicibus ad sepulchrum excurrisse, primo quidem cum comite Iohanne motus nuntio Mariae Magdalenae nuntiantis Dominum sublatum esse, cui etiam perinde ac Ioannes conspecto vacuo sepulchro credidit, ουδεπω γαρ ηδεισαν την γραφην, ὁτι δει αυτον εκ νεκρων αναστηναι Ioh. XX, 9. postea vero sine comite solus, cum ex primo exitu reuersus a mulieribus audiret, angelos apparuisse de resurrectione Christi testatos; hac ratione Iohannes descripsisset priorem, Lucas posteriorem exitum; iterata

Saluatorem πρωτον apparuisse asserit, contradixeris. Vide fusius de hoc argumento disserentem B. GERHARDVM in *Hist. Res. cap. 2. p. m. 52.* Esse vero relationem Matthaei et Marci eandem euincit Cl. KOEPPENIVS in *laudata Dissertatione de Apparitionibus Iesu Christi post resurrectionem §. 17.* qui idem praeeunte GERHARDO cum ex ipso angelorum suauiori discursu, tum ex subsequente amplexu Christi relationem Matthaei et Marci posteriorem, Lucae priorem esse probasse fategit.

α) in *operibus selectis pag. 920.*

β) in *Obseruationibus Sacris Tom. 2. pag. 533. Edit. Sec.*

ta hac itione exploraturo mulierum fidem et miranti το γεγονος apparuit Iesus. In qua sententia video fuisse Duumuiros GERHARDVM γ) et SANDHAGENIVM δ) quibus adde tertium Ven. RVSIVM. ε)

§. VIII.

Quarta et numero et ordine εν αυτη τη ἡμερα Luc. XXIV, 13. facta est apparitio duobus Emaunticis discipulis. Quinam duo illi εξ αυτων vt Lucas et Marcus aiunt, fuerint, lis adhuc est sub iudice. Non ex vndecim apostolis, sed ex grege discipulorum fuisse suadet nomen alterius Cleophae certe non vnius ex Apostolis. Erat iste Cleophas maritus Mariae sororis Matris Domini, quae antea Alphaeum habuerat patrem duorum filiorum Iacobi et Iudae. Socium Cleophae in ipsa apparitione alii cum THEOPHYLACTO, GROTIO et BEZA Lucam, qui tamen se non fuisse αυτοπτην eorum, quae scripsit, declarat, alii Nathanaelem prorsus nullo fundamento, alii Cepham quendam a Petro diuersum, alii Petrum ipsum faciunt, quos inter LIGTFOOTVS α) et Ven. RVSIVS β) eminent. Sed vereor ne LIGTFOOTO argumenta digna deficiant, etsi enim rationes, quas IOH. MARCKIVS, vt aduersum teneret, attulit, leuia nuncupentur Ven. RVSIO, respondere tamen videntur argumentis Ligtfooti non grauioribus. Vnicum quod cum specie quadam veritatis pro asserenda hac hypothesi struunt, petitum est ex Marc. XVI, 13. vbi de απιςια discipulorum, qua nec reducibus fidem habuerint, differitur, inde concludunt vocem, quam iidem acclamasse dicuntur redeuntibus per Luc. XXIV, 34. ὁτι ηγερθη ὁ Κυριος οντως και ωφθη Σιμωνι non assertiue quasi indubitate et certo crediderint Dominum surrexisse, sed interrogatiue reddendam esse. Nimirum putant, Petrum,

γ) in *Harm. Res. cap. 3. p. m. 83.*

δ) *in der kürtzen Einleitung in die Geschichte Jesu pag. m. 90.*

ε) in *H. E. Tom. 3. Vol. 2. p. 1480.*

α) in *Horis Ebraicis ad Euangelium Lucae Vol. 2. opp. p. m. 466.*

β) *H. E. Vol. 2. Tom. 3. p. 1485.*

trum, cum ex foeminis audiuiſſet ſibi prae ceteris nunciari iuſſam ab angelis vitam Domini praegreſſuri in Galilaeam, non moratum perrexiſſe in iſtam prouinciam cum Cleopha γ) noto diſcipulis ſine dubio facto itineris ſui fine; quem quum inopinato redeuntem viderent, coniectaſſe diſcipulos, quod forte Dominus in ingreſſu itineris Petro apparuerit. Sed I. gratis aſſeritur, Petrum cum Cleopha per Emmaum in Galilaeam tetendiſſe, cum ſimile vero non ſit, quod vllus diſcipulorum ante finem Paſchatos ex vrbe diſceſſerit, minus probabile, iter omnibus diſcipulis iniunctum a ſolo Petro cum Cleopha comite, reliquis deſtinato conſilio remanentibus, ſuſceptum eſſe. Potius vero conuenit, diſcipulos illos Emmaunticos, ad emolliendam aegritudinem et recreandum animum mixtis colloquiis exiguum hoc iter ſuſcepiſſe, poſteaquam a Mulieribus ex prima itione ad ſepulchrum reducibus audiuerant Chriſtum ſurrexiſſe et angelos eſſe viſos. II. ex *απιςια* diſcipulorum Marc. XVI, 13. *εξηγησις* dicti Luc. XXIV, 34. et hypotheſis de Petro Cleophae comite elici nequit. Etenim verba Marci de quibusdam, qui ad exemplum Thomae relatis fidem denegarunt, non de omnibus accipienda eſſe probe monuit Ven. WOLFFIVS δ) quibus addo, quod omnium fides nondum fuerit ab omni praeiudicio et infirmitate liberata, ſed reciprocantibus fidei et dubitationum fluctibus animi perculſi, vt mox certe crederent *ὁτι ὁ Κυριος οντως ηγερθη*, mox viſo Domino ipſo dubitarent, ita enim *το απιςειν* ſaepiſſime ſumi notius

γ) Inſulſe admodum GVRTLERVS in *Diſſert. de Ieſu in Gloriam euecto* fingit, Dominum ipſum per Emmaum in Galilaeam clam nauigio traiicere voluiſſe, quia via nimis aquoſa pedeſtre in Galilaeam iter negaſſet. At vero iter a Chriſto in Galilaeam ſuſceptum primo die, nondum probauit, finxiſſe non ſat erat, multo minus iter nauale ſoli excuſabit humiditas, cum Chriſtus naui non indigeret, qui corpore nondum glorificato ſuper aquis ambularet Matth. X, 14. vide MARCKII *Hiſt. Exalt. Chriſti L. I. c. X.*

δ) vide *Curas Criticas ad Euangelium Marci p. 541.* et relatum etiam leges de peculiari ANDREAE MASII et ANDREAE OSIANDRI ſententia, qui duos illos diſcipulos, de quibus Marc. XVI, 12. ab Emmaunticis Luc. XXIV, 13. diſtinguunt.

tius eſt notiſſimo. Tandem III. obſtat verſus 34. cap. XXIV. Lucae, vbi Cleophas, dum ad diſcipulos, qui ſepulchrum ipſi viderint vacuum, prouocat, ſine dubio intenſo digito Petrum notaſſet, ſi illum quidem ſocium habuiſſet, at vero indeterminate pronunciat τινες των συν ὑμιν απηλθον. Nihil addam de ſilentio Lucae qui cum v. 12. Petrum nominaſſet, eundem v. 13. de itinere Emmauntico prolixe agens nominando repetere vix praeteriiſſet, ſi quidem itineri interfuiſſet. Praeſtat igitur, ſilente ſcriptura, nomen ανωνυμε ignorare.

De vico Emmao in quem tetenderunt, nihil monitu dignum reſtat poſt *Relandum* in Palaeſtina S. quam vt moneamus differre hanc Emmaum ab altera, quae in Galilaea erat, diſtabat enim noſtra Emmaus ab vrbe tantum 60 ſtadia. ſ. duo fere milliaria, cum altera, Nicopolis etiam dicta, 176 ſtadia *Ioſepho* dicatur abfuiſſe.

§. IX.

Sequitur quinta α) quae poſt reditum Emmaunticorum vndecim apoſtolis, et qui cum illis erant, obtigit Luc. XXIV, 33. et 36. Ioh. XX, 19. et Marc. XVI, 14. Omnia enim, quae in citatis locis facta et dicta leguntur ad vnam eandemque viſionem, quae veſpera primi diei facta eſt, eueniſſe αυτοψια docet, et quoad Marcum, de quo quidem adhuc dubitatur, in antecedentibus probatum eſt. Cum vero circa hanc ipſam apparitionem recte digerendam admodum haerere intelligam *Harduinum* fuſius omnia quae ibi geſta ſunt exponam Ducibus GERHARDO et RVSIO. Nimirum Soſpitator vndecim diſcumbentibus (menſa forte iam ſublata erat, Chriſtus enim poſtea interrogat: εχετε τι βρωσιμον ενθαδε, ſed diſcipuli adhuc diſcumbebant colloquia inter ſe miſcentes) apparuit per Marc. XVI, 14. Dum enim adhuc differerent cum reducibus et fores clauſae eſſent propter

 metum

α) Prima haec calculo Iohannis eſt apparitio ex ſolennioribus, quibus ipſe etiam interfuerat, vt monitum eſt in antecedentibus. vide RVSIVM *P. 3. Vol. 2. p. 1513.* et LAMPIVM in *Comment. P. 3. p. 741.*

metum Iudaeorum β) venit Iesus stetit in medio, γ) dixit ειρηνη υμιν, quandoquidem vero perterriti discipuli spiritum videre sibi

β) Fallor aut timuerunt, ne Iudaei mendaciis militum, quae pecunia corrupti de corpore Christi a discipulis sublato per vrbem sparserant, irritati furorem in se emitterent.

γ) Reformati omnes et praesertim LAMPIVS in *Commentario cit.* nec non IO. MARCKIVS in *Historia Exaltationis Christi* impingunt foribus clausis, quia erroneos de humana Christi natura conceptus cum introitu per clausas fores concipere nequeunt, Christum igitur fingunt virtute sua diuina occlusas fores ad introitum corporis aperuisse celerrime et praeter auditum vllum a discipulis strepitum, nisi forte, quae MARCKII coniectura est, cum admissis Emmaunticis duobus ipse non obseruatus inrroiuerit. Certe si hoc non est fingere et Scripturam ad praeceptas hypotheses cogere, quid erit? Decem sunt argumenta, quibus contra Reformatos pugnat B. GERHARDVS in *Harm. Ref. c.* 8. *p.m.* 248. ad quae singula respondet LAMPIVS in *Comment. Tom.* 3. *pag.* 687. Res omnis ad principium Physicorum penetrationem dimensionum, vt LAMPIVS ait, esse naturae corporis impossibilem redit: sed non attendunt illud: ου δει μεταβαινειν εις αλλο γενος. Iniurium profecto in Deum omnipotentem, qui legibus corporum, vt TERTVLLIANVS *de resurrectione carnis* pronuntiat, potentior est, ad normam physices, quae hyperphysica sunt, exigere. Parum ergo valet, quod aduersarii ad sapientiam Dei, secundum quam essentias rerum liberrime constitutas non immutet, prouocent. Primo enim discrimen adhuc inter essentias et qualitates, quae corporibus insunt, obtinet. Dein leges naturae et motus, quibus etiam haec annumeratur: corpus solidum aliud penetrare nequit, ex essentiis corporum minime fluunt, vt Philosophi demonstrant, adeoque salua corporum essentia ab autore legum istarum suspendi possunt et immutari. Tandem multum discriminis intercedit inter corpus φυσικον et inter corpus πνευματικον et gloriosum, quale certe Christo resuscitato per 1. Cor. XV, 42. et Phil. III, 21. denegari nequit, etsi dubitet adhuc LAMPIVS, consentientes tamen habeo HEIDANVM in *Corpore Theologiae Christianae Tom. I. p.* 596. et IO. MARCKIVM in *Hist. Exalt. Christi L. I. C.* 10. Quid vero est corpus spirituale? non carne et ossibus destitutum, in spiritum immutatum, sed quod manente sua substantia proprietatibus corpore nobilioribus et spiritui mutationi quoad magnitudinem, figuram, situm partium vel totius non obnoxio competentibus praeditum est. Tales sunt, teste Paulo 1. Cor. XV, 42. 43. αφθαρσια, δοξα, δυναμις, subtilitas. Non minor differentia intercedit corpus φιλανθρωπου et θεανθρωπου. Sumo, grauitatem et visibilitatem aeque ac soliditatem ad proprietates corporum pertinere. Atqui Christus grauitatem corporis sui nondum glorificati imo etiam Petri suspendit, cum super aquas fluidas ambularet. Obiicit LAMPIVS: quid inambulatio in mari cum penetrantia corporum commune habet? Resp. illud habet, quod vtraque sit contra

sibi viderentur, blande compellat eos et vt certiorem resurrectionis suae fidem faceret, manus et pedes vestigiis clauorum notatos ostendit, imo coram comedit Luc. XXIV, 33, 42. Quae dum fecit, exprobrauit discipulis απιςιαν et σκληροτητα της καρδιας Marc. XVI, 14. δ) Prouocauit ad ea, quae ante passionem suam locutus erat Luc. XXIV, 44, 48. Posthaec repetiit salutem

contra naturam corporis humani et leges motus, vtraque miraculum. Suspendit Dominus etiam visibilitatem corporis sui glorificati, quando discipulis Emmaunticis αφαντος εγενετο Luc. XXIV, 31. Ridiculus est IO. MARCKIVS, qui, vt eludat hoc argumentum, per aliquot momenta discipulorum oculos retentos fuisse fingit, vsque dum Christus se ex eorum conspectu subducere potuerit. Scilicet negando miraculum aliud miraculum fingendo opus erat? Rectius multo sensit HEIDANVS in *Systemate laudato p. 596.* Ergo, qui mari inambulare, qui αφαντος fieri potuit, foribus etiam clausis intrare conclaue discipulorum valuit. Quod quidem vere factum esse, ex ipsis verbis των θυρων κεκλεισμενων, quae siue tempus siue modum aduentus notent, (quanquam tempori notando minus commoda sint, cum saepe summo mane et meridie fores claudi soleant, et per additum δια τον φοβον των Ιουδαιων constet, iam ante vesperam clausas fuisse aedes,) occlusas tamen fores notant, quibus non obstantibus nec reclusis Christus εςη εν μεσῳ αυτων, Iohannes habet ηλθεν, quod non successiuum tantum, sed etiam subitaneum aduentum notat, Luc. XXI, 35. 2 Petr. III, 10. Apoc. III, 3. Nihil de suspicione spectri, quae animos discipulorum occupabat subitaneo Christi et miraculoso aduentu addam: addam egregia HIERONYMI asserta in *Epist. 38.* ad PAMMACHIVM aduersus errores IO. HIEROSOLYMITANI *T. IV. Opp. Edit. Monach. Bened. Paris.* *Quod clausis ingressus est ostiis eiusdem virtutis fuit, cuius est ex oculis euanescere; Linceus, vt fabulae ferunt, videbat trans parietem. Dominus clausis ostiis nisi* φαντασμα *fuerit intrare non poterit? Aquilae et vultures transmarina cadauera sentiunt. Saluator Apostolos suos nisi ostium aperuerit, non videbit? Dic mihi acutissime Disputator, quid est maius tantam terrae magnitudinem appendere super nihilum et super aquarum incerta librare? an Deum transire per clausam portam, et creaturam cedere creatori?* Singulari Dissertatione quaestionem, *an Christus ianuis clausis discipulorum conclaue intrauerit,* solide excussit. B. D. VALENT. ALBERTI, *Lips. 1693.*

δ) Circa verba, quibus Saluator Marc. XVI, 14. increpuit discipulos ordinanda discedit Ven. RVSIVS a B. GERHARDO. Iste enim sub ipso ingressu post salutem ειρηνη ὑμιν dicta existimat, hic contra post ostensionem manuum et pedum et sumtum cibum. Argumentatur vir beatus a pari, quemadmodum Christus cum euntibus Emmaum primum amice conuersatus sit, postea demum eos increpuerit; ita probabile esse, ipsum etiam h. l. prius manuum et pedum

ſalutem nuntiatam ειρηνη ὑμιν et inſufflando ε) diſcipulis Spiritus S. dona adminiſtrantia cum poteſtate remittendi et retinendi peccata dedit *Ioh. XX*, 21. 23.

§. X.

Singula haec ſatis perſpicue docent, Chriſtum non ter vt IOH. MARCKIVS exiſtimauit α) ſed quinquies primo reſurrectionis die apparuiſſe, quum vero Thomas Διδυμος abeſſet a coetu apoſtolico et pertinax in dubitando reiectis teſtimoniis omnium apoſtolorum perſiſteret, Chriſtus pro ſuo in diſcipulos amore etiam hunc confirmare cupit noua apparitione, quam ſextam numeramus Ioh. XX, 24. Tempus illi deſtinatum fuit poſt octiduum; communis eſt ſententia octauo die, die noſtro Dominico, factam eſſe iſtam επιφανειαν; ex quo tamen non conſequens eſſe videtur, reliquas omnes apparitiones, vt nonnulli putarunt, diebus dominicis factas eſſe. Locus erat eadem domus in vrbe, in qua ante octiduum diſcipuli congregati Dominum viderant. Modus apparitionis huius non minorem φιλανθρωπιαν, quam qua vſus erat antea, nobis ſiſtit, quippe *manus*, *pedes*, latus conſpicienda imo et tangenda Salua-

pedum oſtenſione reſurrectionis ſuae veritatem comprobaſſe, et tum demum απιςιας accuſaſſe, quod noluerint credere iis, a quibus Dominum ſurrexiſſe, et conſpectum eſſe audiuerant, ita vt neceſſe fuerit, ipſummet coram ſeſe illis intuendum manibusque tangendum exhibere. GERHARDVS *l. c. p. 242.*

ε) Notatu digniſſimum eſt ſymbolum hoc externum, quo Chriſtus in communicandis Spiritus S. donis vſus eſt, nam ενεφυσεν αυτυς qua εμφυσησει non tantum Spiritus S. eſſentiam inuiſibilem, ſed et notionem perſonalem, qua a patre et filio ſpiratur, vnde רוח אלוהים et רוח פיו Eſ. XII, 4. πνευμα τυ ςοματος Χριςυ 2. Theſſ. II, 8. vocatur, adumbrauit. Prorſus egregia ſunt, quibus halitum cum Spiritu S. confert B. GERHARDVS *l. c. p. 266.* adde etiam Clar. LAMPIVM *l. c. p. 691.* qui tamen in eo a vero abludit, aſſerens non eo ipſo momento, quo diſcipulos afflauit Chriſtus, Spiritum S. eiusque dona eſſe collata, ſed tantum promiſſa: etſi enim iam antea accepiſſent Spiritum ſanctificationis et miniſterii, et feſto Pentecoſtes demum miraculoſis Spiritus S. donis ornandi eſſent, confirmandi tamen in miniſterio augendi donis et contra ſcrupulos omnes roborandi per Spiritum S. erant. Certe vox λαβετε non promittit, ſed actu confert.

α) in *Hiſt. Exalt. Chriſti L. I. Cap. XII. §. 1.*

Saluator exhibuit. Nec perstitit Thomas adeo conuictus in απιςια sed certam fidem professus est: ὁ κυριος μȣ και ὁ Θεος μȣ. β)

§. XI.

Excipit hanc et ordine et tempore septima apparitio in Galilaea ad mare Tiberiadis facta. Cur Iohanni cap. XXI, 14. tertia vocetur monitum est in Dissertatione I. §. XIV. De die non constat, aliquot tamen dies inter hanc et praecedentem intercessisse, ex ipso itinere discipulorum in Galilaeam patet. Discipuli, quibus apparuit Christus, septem tantum sunt, ex quibus quinque nominantur Petrus, Thomas, Nathanael, filii Zebedaei Iacobus et Ioannes, duorum reliquorum nomina silentio obducta cupiditatem interpretibus accenderunt, vt tentarent coniicere. Prae ceteris eminet LIGTFOOTI sententia de Andrea et Philippo, sed coniecturae sunt fundamento scripturae destitutae. Abierant discipuli in Galilaeam mandati memores: si quaeras cur non statim in montem iuerint, respondet IOH. MARCKIVS alia quaestione, vnde constet montem in ea regione

β) Locus est plane insignis pro probanda Christi summa diuinitate. Sociniani igitur, vt eludant illud argumentum, fingunt Thomam his ipsis verbis non Christum allocutum, sed mirabundum ad Deum patrem clamasse: ὁ κυριος μȣ quasi dixisset, *o Deus! quid video? Iesum resuscitatum.* Verum refellitur haec παρερμηνεια I. *contextu eiusdemque cum antecedentibus*, quae perspicue docent, Thomam Christo monenti, μη γινȣ απιςος αλλα πιςος respondere, ita enim verba prostant: απεκριθη ὁ Θωμας, και ειπεν αυτῳ· ὁ κυριος μȣ και ὁ Θεος μȣ. Ridiculum fuisset dicere Christo, *se exclamare ad Deum Patrem. Tum consequentibus* v. 29. Respondet enim Christus Thomae fidemque et eius professionem laudat: ὅτι ἑωρακας με Θωμα, πεπιςευκας. II. *Parallelismo* cum ὁμολογια Petrina Matth. XVI, 16. Ipsam confessionem Thomae quod attinet, concisam dictionem quidam cum Cl. HACKSPANIO *P. 3. Not. Philol. p. 479.* ita explicant, vt Atticorum more antiptosin Nominatiui pro Vocatiuo statuant. Sed, etsi aduersarii ex priori quidem sententia nihil lucrentur, rectius tamen alii Cl. ADOLPHO LAMPIO in *Commentario P. 3. p. 708.* ellipsin συ ει contendere videntur: συ ει ὁ κυριος μȣ και ὁ Θεος μȣ.

gione non fuiſſe? nec, ſi conſtet, tempus adeo ſtricte conſtitutum fuiſſe, vt ne loco, cui vellent, aliquamdiu inhaerere poſſent. Maxime digna ſunt, quae attendantur, a Chriſto ibi facta et dicta, Fecit miraculum. Dixit et praedixit Petro atque Iohanni fata futura, vitae exitum; et quanquam IOH. MARCKIVS, quae de morte Petri referuntur incerta pronuntiet, praeualet tamen conſenſus primae antiquitatis conteſtantis Petrum cruci affixum obiiſſe α) qua cum ſpecie mortis apprime conueniunt dicta Saluatoris de extenſione manuum nonniſi cruci competente, multi tamen adhuc dubitant an humi conuerſo capite, vt ferunt, pependerit, quo quidem modo extenſio manuum locum non inueniſſet, nec *Tertullianus* Petrum Dominicae paſſioni aequatum dixiſſet. In eo conſentiunt interpretes nec GROTIO et CLERICO exceptis, το ακολυθειν Petro iniunctum non tam literali quam myſtico ſenſu accipiendum eſſe, contextus quippe et ſubſtrata materia docent, Chriſtum equidem conuiuio peracto abitum paraſſe, quod ipſa αναστροφη, qua Petrus Iohannem a tergo ſequentem reſpexit, probat, ſed perinde ac prophetae V. T. ſaepius fecerunt, et geſtibus et verbis altius quid quam corporalem Petri ſequelam intendiſſe, nimirum vt declararet ποιω θανατω δοξασει τον θεον. igitur το ακολυθειν h. l. imperatum complectitur 1. exemplum officii paſtoralis in ouibus paſcendis, 2. exemplum in ſubeunda morte β) Vox μενειν quam Saluator de Ioanne adhibet v. 22. manſionem ſequelae Chriſti corporali oppoſitam denotare nequit, ſiquidem diſerte teſtatur Iohannes ſe ipſum aeque ac Petrum Dominum ſecutum eſſe abeuntem v. 20. Denotat potius perſiſtentiam in vita vt 1 Cor. XV, 6. et Philipp. I, 24. ſcilicet Petro curioſe quaerenti de Iohannis fato ὑτος δε τι quid vero hic ſc. expectabit? violenta vt ego an quieta morte obibit? ſicuti GROTIVS rectiſſime interpretatus eſt, reſpondet Ieſus, Petri nihil intereſſe,

α) vide LAMPII *Comment. P. 3. pag. 755.* RVSII *H. E. T. 3. Vol. 2. p. 1566.* CAVEI *Antiquitates Apoſtol. Cap. IX. p. m. 333. ſſ.*

β) confer. B. GERHARDI *Harm. Reſ. C. XI. p. 396.*

esse, vt sciat, quis Iohanni vitae exitus destinatus sit, quod si tamen vellit eum manere i. e. viuere vsque dum veniat, non ad Petrum attinere γ) de quo aduentu, vltimo ad iudicium, an de aduentu ad excidium vrbis Sospitator loquatur, differunt interpretes, alii cum LIGTFOOTO et SPENERO posteriorem, alii cum GERHARDO, CALOVIO, AVG. PFEIFFERO et WOLFFIO priorem malunt sententiam, et obiiciunt dissentientibus, quod ex monumentis constet, Iohannem non solum vsque ad excidium Hierosolymitanum vitam produxisse, sed etiam vltra triginta adhuc annos vixisse. Vtraque explicatione et pugna supersedere poterimus, si aduentum Christi h. l. in genere de aduentu ad mortem eamque placidam martyrio Petri oppositam interpretemur. δ) Interim error discipulorum, qui haec ipsa Christi verba male pro categoricis habebant, ansam dedit errori ridiculo de Iohanne adhuc superstite, etsi fabularum magistri de loco, quo viuat, non consentiant, aliis Paradisum aliis sepulchrum fingentibus. ε)

§. XII.

Octaua demum apparitio in monte Galilaeae prouinciae facta est Matth. XXVIII, 16. Hunc illi debere ordinem et numerum, supra probauimus ex eo potissimum capite, quia priores quinque apparitiones factae leguntur primo ἀναστάσεως die, quo discipuli in Galilaeam venire non poterant, nec posteriores ordine esse posse, quas sextam et septimam dicimus, ex calculo Iohanneo apparet, siquidem alias illa ad mare Tiberiadis facta ipsi non tertia sed quarta dicenda fuisset. Etenim Iohannes, vt saepius monitum est solenniores tantum, quibus ipse interfuerat, numerat, at vero etiam illi solennissimae Matth. XXVIII, 16. interfuit. Ex quibus simul patet, quod eadem haec

H 2 sit,

γ) Male versio vulgata v. 22. ἐὰν per sic atque adeo hypotheticum Christi responsum in categoricum versum habet.

δ) Plura dabit LAMPIVS in *Comment. P. 3. p. 760.*

ε) Scripsit MITTERNACHTIVS Differtat. 19. ad Ioh. XXI, 22. *de eo, an Iohannes et Iudaeus quidam a tempore passionis Christi adhuc sint superstites,*

ſit, quae a Paulo quingentis fratribus euenisse perhibetur 1 Cor. XV, 6. Nec aptior profecto locus cogitari poteſt, qui prae monte Galilaeae tantae congregationi conuenerit. Addam etiam illud, conueniens vtique fuiſſe, vt qui in Iudaea tot repetitis vicibus apparuiſſet, in Galilaea quoque, vbi maior credentium multitudo erat, appareret, omnesque adeo omnibus ſuis diſcipulis ſcrupulos de veritate ſuae reſurrectionis remoueret. Acceſſit igitur Saluator optimus in monte iſto ad ſuos, et partim de omnipotentia ſua partim de praedicando euangelio et adminiſtrando baptiſmo verba fecit, quibus adiungenda videntur, quae Marcus habet cap. XVI, 15, 16, 17, 18. α) ad quae annoto, quod Saluator per ſigna ſecutura fideles miracula, vt ex ſubiectis ſpeciebus apparet, per πιςευοντας credentes primitiuae eccleſiae et prae ceteris primitias credentium Rom. VIII, 23. Apoſtolos intelligat. Neutiquam igitur illa ſigna conſtituta ſunt perpetua eccleſiae criteria, ſed tum temporis tantum, quando απιςοι adhuc cingebant eccleſiam de verbi praedicati veritate nondum conuicti. Repugnat enim experientia, quae clare docet, non omnes fideles donis miraculoſis praeditos iam tempore apoſtolorum fuiſſe 1 Cor. XII, 29. et vbi quaeſo nunc ſunt, qui γλωσσαις λαλεσι καιναις, καν θανασιμον τι πιωσι ε μη βλαπτει? etc. Neceſſaria fuere dona miraculoſa eccleſiae plantandae, ſed cum plantata ſit, nouis miraculis non indigemus, id quod vel ex fine miraculorum probaſſe ſufficiet. Poſſet tamen, ſi opus eſſet, ex monumentis eccleſiaſticis demonſtrari, quomodo ſenſim atque ſenſim cum incremento eccleſiae dona miraculorum decreuerint. Proinde criteria eccleſiae perpetua eſſe nequeunt, nec certa, ſiquidem Chriſtus ipſe in vltimo iudicio concedet ab hypocritis talia eſſe factitata Matth. VII, 22. Perplacet GREGORII M. Doctoris Sec. VI. et Epiſcopi Romani, cuius

α) Vide B. GERHARDVM *C. XII, p. 415.* et Ven. RVSIVM *T. 3. Vol. 2. p. 1573.* Equidem in μονοτεσσαρω αναςασιμω referuntur haec ad veſpertinam primo die factam viſionem, nos ob conuenientiam realem pariter ac verbalem v. 15. et 16. cum Matth. XXVIII, 19. ad octauam demum apparitionem retulimus. Libera cuique ſit optio.

cuius tanta est apud Pontificios autoritas, etsi a doctrina eius multum aberrent, sententia: miracula non sunt necessaria ecclesiae nunc vt olim. β)

§. XIII.

Nona Christi apparitio Iacobo Apostolo facta est 1 Cor. XV, 7. per quem minorem, fratrem Iudae germanum, qui alibi ἀδελφος τȣ κυϱιȣ Gal. I, 19. audit stylo scripturae consueto, quo cognati proximi fratres vocantur, mater enim huius Iacobi soror matris Christi fuit Ioh. XIX, 25. α) multi intelligunt cum LIGTFOOTO et Ven. QVANDTIO in Dissertatione laudata: praeiuit THEOPHYLACTVS ωφθη Ιακωβω αδελφω τȣ κυϱιȣ επισκοπω πϱωτω Ιεϱȣσαλυμων. Pro maiori Iacobo fratre Iohannis stant Summe Reu. AVCTOR Programm. Pasch. Lips. 1735. et Ioh. Marckius in Historia Exaltationis Christi. HARDVINVS tertium Iacobum a duobus discipulis Christi ὁμωνυμοις distinctum statuit in operibus selectis confutatus a IOH. MARCKIO. β)

De tempore loco et modo huius apparitionis nihil constat, nisi hoc, per ordinem a Paulo constitutum posteriorem illam esse manifestatione quingentis fratribus facta adeoque penultimam: minus recte igitur a B. FRIDERICO BALDVINO in Commentario p. 510. ad septimam, de qua Ioh. XXI, 1. relata videtur. Rectissime etiam monuit ESTIVS, inepte a quodam ανωνυμω post ascensionem demum eam esse constitutam, quemadmodum traditio *Hieronymi* ex Euangelio Nazaraeorum fabulam redolet, qua fingitur Iacobus iurasse se non comesturum panem ab illa ipsa hora, qua biberat calicem Domini Matth. XXVI. donec videret eum resurgentem ex mortuis, rediuiuum igitur omnium primo illi apparuisse.

β) *Libr. 17. Moralium c. 14.* Idem egregie pronuntiauit *Hom. 29.* sancta ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tum per Apostolos corporaliter faciebat. Vide contra Pontificios miracula quouis die fingentes HEIDEGGERI *Tumulum Concil. Trident. Vol. 2. p. 954. et 959.* B. SCHERZERI *Breuiarium Hulsemannianum pag. 1324. ff.*

α) conf. ITTIGII *Hist. Eccl. Sec. I. p. 451.* et RVSII *Harm. Euang. T. I. p. 441. et 1020.*

β) in *Exerc. Miscell.* et *Hist. Exalt. Christi L. I. C. VIII. §. VII.*

§. XIV.

Superest vltima, quam Euangelistae tradunt die quadragesimo post resurrectionem in monte Oliuifero facta apparitio. Agunt de illa Marcus c. XVI, 19. Lucas, breuius in Euangelio c. XXIV, 50. prolixius in Actis c. I, 1--12. Personae, quae huic apparitioni interfuerunt, erant apostoli omnes nominibus post reditum expressi Act. I, 13. Minus recte igitur ESTIVS ducibus *Chrysostomo* et *Hieronymo* alios huc refert praeter apostolos. Paulus vocat eos τȣς αποςολȣς παντας v. 7. quo ipso minime opponit τοις δωδεκα v. 5. sed procul dubio innuit, omnes apostolos, quibus iste titulus alias competebat, adfuisse in oppositione ad eorundem collegium in prioribus apparitionibus minus plenum. Collegerat Christus apostolos ex Galilaea in vrbem Hierusalem, et quum mandatum de non deserenda vrbe, vsque dum promissum Spiritum S. acceperint, dedisset Luc. XXIV, 41. Act. I, 4. eduxit eos Bethaniam; visibili forma dominum prae discipulis iuisse, το εξηγαγεν nonnullis innuere visum est. Magna tamen hic occurrit difficultas, quod Christus perhibeatur eduxisse apostolos Bethaniam, quae ab vrbe 15. stadia abest per Ioh. XI, 1. et discipuli redeuntes ex monte, a quo Christus euectus erat, tantum iter Sabbathi habuerint emetiendum. Si *Iosephum α)* audias quinque stadiis distabat mons ab vrbe, cum quo interpretem Syrum, qui septem stadia numerat conciliabis, si diuersitatem termini a quo notare velis, quem Iosephus ab ipsis montis radicibus posuit, cum Syrus vlterius processisse videatur. Sed ne dicam viros doctos et de stadiis et de itinere sabbathico non adeo exacte inter se consentire propter discrepantiam pedum, cubitorum et passuum minorum s. communium et maiorum s. geometricorum, quos inter se saepius confundunt. In eo tamen fere omnes Hebraei testibus Ven. WOLFFIO, RELANDO, LENFANTIO et B. RAMBACHIO conueniunt stadium 125. passus et iter sabbathi 8. stadia s. 1000. passus, qui quadrantem milliaris germanici constituunt, complecti:

α) *Libr. XX. Antiqu. Iud. Cap. VI.*

cti: a quibus non dissentiunt, quae *Hieronymus* et multi Rabbini asseruerunt, iter Sabbathi esse bis mille passuum. Passus enim Rabbinis secundum MAIMONIDEM et BVXTORFFIVM non differunt a cubitis, cubitus passum minorem constituit s. dimidium passus geometrici; vbi igitur illi bis mille passuum ad iter Sabbathi requirunt, passus minores intelligunt, cum alii, qui tantum mille passus volunt, geometricos respiciant. Quae cum ita sint, manebit tamen dubium ex Luc. XXIV, 50. collat. cum Act. I, 14. et Ioh. XI, 1. motum, quod vt tollant, et Lucam cum Luca concilient, varie sentiunt Interpretes; prae ceteris LIGTFOOTVS illud tollere allaborauit hac ratione, vt Bethaniam, in quam eduxisse Saluator apostolos dicitur, de tractu montis vrbi propriore ὁμώνυμῳ villulae longius distanti interpretaretur. β) Quicquid sit, Lucam cum se ipso non pugnasse sufficiat. Nusquam enim in Actis, quod probe notandum, asserit locum, ex quo Christus euectus est, iter sabbathi abesse ab vrbe, sed discipulos reuersos ex monte, in quo ἀνάληψις facta est, qui mons prope Hierusalem absit iter Sabbathi. Potuit igitur omnino Saluator discipulos, suos in tractum montis cui adsita erat Bethania educere, potuerunt discipuli eodem die, Sabbathum enim non erat, reuerti in vrbem, salua sunt omnia, quae in Actis de distantia montis ab vrbe referuntur.

De

β) vide *Horas Ebraicas ad Luc. XXIV, 50. p. m. 569.* Vera sunt, inquit, distitisse Oliuetum ab vrbe V. stadiis, oppidum Bethaniam XV. eduxisse Christum discipulos ad Bethaniam vsque, redeuntes ab olivueto emensurasse 5 stadia, redeuntes a Bethania emensurasse iter tantum Sabbathicum. Quae omnia bene et facillime conciliantur, si obseruetur, Bethaniam et Bethphagen non tantum certas quasdam villulas sed et tractus montis oliueti ad villulas spectantes siue illi a villulis, siue villulae ab illis nomen traxerint, denotare. Primum spatium ab vrbe versus montem vocabatur Bethphage: contingebat illud tractum alterum montis, qui Bethania vocabatur. Differt Bethania tractus montis et Bethania oppidum, haec 15. stadiis s. itinere Sabbathico duplicato, illius prima fimbria vno tantum itinere distabat. Eduxit ergo discipulos in tractum montis olivueti, qui vocatur Bethania, vbi se mutuo contingebant limites Bethphagae et Bethaniae, non in vicum, non enim ex vico, sed ex monte ascendit Saluator in coelos. Ἐν συνόψει fusius a LIGTFOOTO dicta recensui, quibus tamen ipse contradixit in *Commentariis ad Acta p. m. 754.*

De ipſo tamen loco, quo Ch
non equidem conſtat, ſufficit n
ti facta ſit ἀναβασις, vbi tot et ta
derant, et impletum vaticiniu
תים אשר על פני ירושלם
ציו מזרחה וימה גיא גדלה
חצי ההר צפונה וחציו נגבה
dubio aſcenſus Chriſti in coel
bem deſcribitur, tunc enim
uiſus eſt. Veneramur diuinam
exacte locum aſſumtionis, se
cauentem ab exoſa ſuperſtitio
ſtigia pedum Chriſti aſcenden
feruntur circumſtantiae a SVLI
fuerit, et a recentioribus Topog
iſtas pro veritate reputabit. N
tiquitatis primae, ipſius etiam E
ui templo in monte exſtructo;
LYMITANVS vbi reliquas aſc
get Catech. XIV. 2) SVLPITI
V. vixit veſtigiorum in arena.
itineraria recentiora de veſtigi
veſtigium nunc cerni, ſed alt
pe, etſi nondum conueniant in
in fanum ſuum translatum eſſe,
hil ſolatio, nihil veritati religion
ſint omnia quae de veſtigiis p
duntur. Calumniae potius et
bulis, quas peſſimi homines in
temere obiiciunt, datam eſſe oc
plices precamur, vt nos omn
ὁ λογος ὁ

γ) *Libr. 2. Hiſtor. Sacrae.*
δ) Vide D. SAM. ANDREAE Differ
Marpurgi 1676. adde M. ADAM MAHN

ΜΟΝΩ ΘΕΩ

, quo Christus ascenderit, ex Scriptura S.
t; sufficit nobis scire, quod in monte Oliue-
bi tot et tam insignia et olim et nuper acci-
: vaticinium Zachariae c. XIV, 4. ועמדו
רגליו ביום ההוא על הר הזיתים אש
מקדם ונבקע הר הזתים מחציו מזרח
מאור ומש חצי ההר. quo in loco absque
sti in coelos et egressus apostolorum in or-
nc enim mons in quatuor, quasi partes di-
ur diuinam sapientiam, cui non visum adeo
tionis, sed tantum εν πλατει indicare forte
superstitione. Ostenduntur equidem ve-
ascendentis saxo impressa, et peculiares re-
tiae a SVLPITIO SEVERO, etsi αυτοπτης non
bus Topographis. Vix tamen quis traditiones
utabit. Nam 1) suspectum est silentium an-
ius etiam EVSEBII *Episcopi Palaestini* et coae-
exstructo; silet etiam CYRILLVS HIEROSO-
eliquas ascensionis Christi circumstantias vr-
SVLPITIVS SEVERVS, qui Seculo demum
n in arena impressorum meminit γ) at vero
de vestigiis saxeis tradunt, nec vtrumque
rni, sed alterius tantum pedis, dextri quip-
ueniant in eo omnes, pedis vestigium a Turcis
latum esse, ferunt. δ) Nostra nihil interest, ni-
ati religionis Christianae decedit, etiamsi falsa
vestigiis pedum Christi in monte olineti tra-
e potius et suspicioni empaectarum incertis fa-
omines in grauioribus, quae apodictica sunt,
tam esse occasionem dolemus, Deumque sup-
vt nos omnes in verbo suo scripto sanctificet
ὁ λογος ὁ σος αληθεια ες̈ι.

e.
REAE Dissert. *de vestigiis pedum Christi in monte Olineti.*
. ADAM MAHN Dissert. *de vestigiis pedum Christi, Lips. 1699.*

ΝΩ ΘΕΩ ΣΟΦΩ ΔΟΞΑ.